

F.

Man. July 4<sup>o</sup> 1752.  
Sym. D. Deus providabit

~~7-64~~

①  
//

ad Prum 2459.



*Natus Sleidas  
Ubrorum  
Oppido*

*Anno Christi  
MDVI.*



*Peste obiit  
Argentorati*

*d. 31. Octobr  
ACMDLVI.*

**JOHANNES SLEIDANUS,  
Historicus Argentinensis.**



**DE  
IV. SUM.  
MIS IM.  
PERIIS.**





JOHANNIS SLEIDANI

De

QUA TUOR

SUMMIS IMPERIIS  
LIBRI TRES,

AB HENRICO MEIBOMIO

olim materiarum sedibus illustrati,

*Nunc verò denuò revisi, multis in Locis emenda-  
dati, & accuratâ Chronologiâ aucti.*

Accessit

9 13.

Continuatio ab initiò Caroli V.  
usque ad Annum CHRISTI 1668.

Operâ & Studiò

ÆGIDII STRAUCHII, SS.  
Theol. D. & in Acad. Witt. Hist. P.P.  
postea verò ad Annum 1678.

CONR. SAM. SCURZFLEI-  
SCHII, ibid. Hist. & Græc. Lingv. P.P.

*Annexus est præterea Index Rerum priori  
longè accuratior & auctior.*

Cum Privilegio Elector. Sax.


LIPSIÆ,

Imp. MART. GABR. HÜBNERI, Bibl. Dresd.  
ANNO M DC XCII.

1742



296



*Illustrissimo atq; Excellentissimo*

DOMINO

DN. HENRICO

LIBERO BARONI

à FRIESEN,

Dynastæ Schönfeldii, Puzkaviæ, Graupæ,  
Jessenæ & Praschwitzii, &c. &c.

Serenissimi & Potentissimi Electoris  
Saxoniae Comiti, Senatus Sanctioris  
Principi, Heroi in toga,

*Domino meo Gratosissimo.*

DOMINE.



Udum existimavi, Johan-  
nis Sleidani epitomen avor-  
memoriâ editam, ac nu-  
tiam tibi inscriptam solenni-  
terq; dicatam, nu-  
verò no-

vâ insuper rerum serie à me quodammo-  
do auctam, atq; ad proxima deinceps tem-  
pora perductam, rectoq; ordine demum  
continuatam, omni jure ad te pertinere. Et


maximè ad te quidem, Domine, quem in  
 progressionè temporum loquitur ipsa &  
 modestè refert, strictimq; indicat, quâ dili-  
 gentiâ & fide de communi Patria meritis  
 fueris, quùm sociis atqve adiutoribus fan-  
 ctioris Curiaë, Principi Electori auctor effes  
 Egrani fœderis, quod tam felix faustumqve  
 fuit, ut Austria permagnū decus, & nutantī  
 propeq; labenti Germaniæ robur, gliscenti-  
 busq; per eam disidiis primum quafi reme-  
 dium afferret. Ab his initiis divino quodam  
 munere duxisti rationes Saxonie optimas,  
 partesq; omnes tuas summis laboribus ex-  
 plesti, & rebus passim inclinatis, magnam  
 animi firmitudinem atq; constantiam de-  
 monstrasti, & quum factò opus esset, confi-  
 dō & auctoritate tuâ præstò fuisti, hisq; re-  
 bus effecisti, ut habeat posteritas, in quem  
 tanquam prudentiæ exemplum intueatur.  
 Quare vite tua nil potest esse republicæ  
 charius, & vobis nil mihi evenire optatius,  
 propterea quod omnibus vitæ partibus be-  
 ne sapienterq; consulis, & honestissima Pa-  
 triæ instituta graviter defendis, & literarū  
 ornamenta firma nobis florentiaq; præstas,

cumulateq; auges, deniq; eos, quibus aliquē doctrinæ ingeniiq; locum tribuis, exemplo doces, quod animis teneant, usu vitæ confirmare oportere. Sive enim motus temporum animorumq; perturbationes sint, sive conversiones rerum & hominum oriantur, sive morum & fortunæ commutationes existant, sive voluntatum inclinationes ac dissimilitudines subsequantur, tranquillum mentis tuæ idem est, & planè tibi congruit, & summæ rationi semper respondet. Quibus rebus per se maximis prudentiam, quæ se in omnes partes fundit, auspiciatissimè adjunxisti, & decus etiam, quod omni ætate vigeat, summa cum temporum nostrorum felicitate tibi comparasti, tantamq; nomini tuo admirationem conciliasti, ut ego etiam, qui in omni antiquitatis genere enitor maximeq; contendo, & prisca pariter ac recentia sedulò sollicitèq; perscrutor, subtimere incipiam, ne conatûs hujus fiduciam reprehendas. Sed quia mei incepti rationes non eò pertinent, ut cogitem, quemadmodum perspicacissimæ menti tuæ, atq; meritis immortalibus satisfaciam, sed ut videam omniq;ve



mniq̄ve industria experiar, q̄vemadmodum  
 tot beneficiorum abs te acceptorum recor-  
 datione duntaxat frui q̄veam, fines pro tua  
 in me voluntate, ut q̄vum nullam referen-  
 dæ tibi gratiæ facultatem habeam, hoc sum-  
 mæ in te pietatis sanctissimiq̄ve obseq̄vii  
 monumentum relinq̄vatur. Alioq̄vi laudes  
 tuas hæc epistola non capit, q̄vòd cum vim  
 ingenii, tum modum etiam privati hominis  
 excedunt, profusq̄ve tales sunt, ut multitu-  
 dine splendoreq̄ve suo aciem mentis etiam  
 præstantissimæ perstringant, maximumq̄ve  
 & supra meas vires apparatus requirant,  
 finibusq̄ve tam amplis contineantur, ut ple-  
 nos commentarios justamq̄ve historiam ex-  
 pectent. Quamobrem pro fide obseq̄vii,  
 q̄vo tibi conjungor, Domine, peto abs te  
 vehementerq̄ve rogo, hoc mihi concedas at-  
 q̄ve tribuas, ut sub tutela præsidioq̄ve SA-  
 XONIS tuâ præcipuè & Purpuratorum Il-  
 lustrissimorum auctoritate constitutas vitæ  
 studiorumq̄ve rationes in posterum q̄voq̄;  
 recte ac securè habere mihi liceat, esseq̄ve  
 in loco clientium tuorum, q̄vi cupiunt, De-  
 umq̄ve, per sanctè orant, ut q̄vòd sancit  
 PRIN-





**PRINCEPS**, quodque suades Tu, & Principi, & Tibi, & Reipublicæ faustum fortunatumque esse velit, & quod in te summum prorsusque incomparabile & prope immensum decus inest, atque semper magis explendescit, ferisime sibi reputat, ut divinæ humanæque res quàm diutissimè te auctore floreat, felicissimeque conserventur. Dabam ex Museo Non. Octobr. ANNO CL<sup>o</sup> Id<sup>o</sup> LXXIIX.

**Illustrissimæ Excellentiæ Tuæ**

*Humilimâ parenti*

*lege*

*Cliens*

**CONRADUS SAMUEL SCHURZ-  
FLEISCHIUS.**

Per-Illustri, & Antiquissima Prosapia  
Celsitudine Generosissimo

DOMINO,

DN. HENRICO,  
LIBERO BARONIA  
Friesen / in Rôthau / Schonfeldt /  
Pûzkau / Graupa & Jessen &c.

HÆREDITARIO DOMINO

SERENISSIMO AC POTEN-  
TISSIMO ELECT. SAXONIÆ A CON-  
SILIIS INTIMIS EMINENTIS-  
SIMO &c. &c.

DOMINO PERQVAM  
GRATIOSO.

Salutem à DNO. JESU & omnigenæ felici-  
tatis Splendorem!



ivilem pariter atqve Ec-  
clesiasticam Prudentiam Ex-  
emplis doceri optimè, & res  
ipsa loquitur & exacti utri-  
usqve doctores consentiunt.  
Etsi enim præcepta, qveis virtutum conti-  
nentur

nentur regulæ, brevitæ suâ se comendent  
 satis, non minus tamen difficilia sunt, quam  
 curta. Difficilia dico, quod præscribi faci-  
 le, non observari æquè possint, cum ad  
 Prudentis obtinendum titulum haud suffi-  
 ciat, scire quemvis, temperantiæ esse stu-  
 dendum, fortem, si id exigat necessitas, be-  
 nignum & liberalem, si id patiatur fortuna,  
 ostendi debere animum, justum & pium  
 regimen comitem habere felicitatem, & id  
 genus alia, sed agere expeditè, quæ nos o-  
 mnes putamus nosse, proprium Prudentis  
 opus est, qui præter Ethicorum ac Politico-  
 rum maximas rei cujusvis circumstantias  
 æstimat districtè, atque sic demum suum  
 promittit judicium. Quid verò ad hoc nego-  
 tium historiis imbuissè animum conducat,  
 ex eo manifestum est, quod exempla expe-  
 rimenta doceant, & vatis suppleant vices.  
 Nihil enim sub sole omninò novum evenit  
 hodiè, quin potius in rebus humanis secula  
 ac personæ intereunt, causæ & eventa ea-  
 dem recurrunt, illa qui ignorat, etsi Aristo-  
 telis doctrinam ad unguem teneat, *semper*  
*puer* est. quod de Græcis Ægyptius ille fa-

cerdos apud Platonem iudicium fert, qui  
 novit, antevertit canæ senectæ magisterium,  
 dum *nunquam puerum* se esse factis edocet.  
 Intellexit id probè FRIDERICUS SAPI-  
 ENS, Gloriosæ memoriæ, quare Epitomen  
 Historiarum postulavit exarari sibi, in qua  
 series omnium temporum & Monarchia-  
 rum extaret descripta, atque ad eandem  
 in gravissimis deliberationibus, tanquam  
 prudentiæ promptuarium, provocare foli-  
 tus est. Neque aliter JOHANNES GE-  
 ORGIUS I. Beatissimæ recordationis, erat  
 persuasus, quando ante biennium ferè Hi-  
 storias in hoc Inclyto Lyceo profitendi mu-  
 nus mihi extra ordinem gratiosè commisit,  
 ne scilicet Professoris ordinarii, *celeberrimi*  
*Franckenbergeri, Præceptoris olim mei, nunc*  
*Collegæ & Faatoris optimi*, adversa valetu-  
 do, cum qua conflictabatur tunc temporis,  
 remoraretur eos, qui in Serenitatis Suxæ A-  
 cademia humanioribus incumbunt literis.  
 Postquam itaque ante annum Chronolo-  
 gicum edidi Breviarium, à temporum do-  
 ctrina Studium Historicum auspiciatus ob  
 id, quod illa hujus alter sit oculus; exhibeo,

in præfenti, rogatus ab Antiquitatum Scrutatoribus quibusdam, egregiū de IV. Summis Imperiis Sleidani libellum, revisum de nuò & continuatione ad nostra usq̄ve tempora, ad auctum, quo præstò sit index earum rerum, quas olim gestas esse, in vastis legimus Annalibus.

Cæterum quod ILLUSTRIS NOMINI TUO, DOMINE GRATIOSE, hosce à Scholastico pulvere concretos globulos offerre audeam, ad id Summâ Tuâ & decantatissimâ Benevolentia adductus sum, quã uti aliis non denegasti hætenus certissimus nempe illorum, qui literis se abdunt, Patronus, ita ego quoque eandem mihi polliceor, simul ac, hoc usus Prodomo, reverenter imploro. DEUS TE SERVET DIUTISSIME INCOLUMEM ET FLORENTEM: Ita precatus Scrib. Wittebergæ Calend. Maji Anno Christi MDC LVIII.

PER ILLUSTRIS GENEROSITATIS TUÆ

*observantissimus*

*devotissimusque*

ÆGIDIUS STRAUCH,

SS. Theol. D. PP.



REINERUS REI-  
NECCIUS HENRICO

MEIBOMIO, Poëtæ, & Philo-Historico  
CL, amico conjunctiss.

S. D.



*As nobis, HEINRICE MEL-  
BOMI, Sleidanum tuum, id est,  
egregio & exquisito, planeq; au-  
ctore hoc digno cultu exornatū;  
Nimirum scriptum istud ex eo-  
rum numero statuere nos oportet, de quibus  
Poëta:*

*Victurus genium debet habere liber.*

*Nam quàm eleganti, concinno, rotundo o-  
rationis genere summa illa Imperia, quas vulgò  
Monarchias dicimus, nobis representat, & ita  
representat, ut non solùm Ecclesie, verùm eti-  
am cæterorum regnorum & rerum publicarum  
historiam delibet, tum rei literarie quasi pro-  
ceres, honore suo minimè defraudet. Videbatur  
tamen alicubi de Ciceronis, de aliis veterum &  
recentium scriptorum adductis testimoniis, imò  
de expositionibus ipsis aqua herere, Quorsum  
enim*



enim indices, rei veritatem vel occultentes vel involventes? Hunc igitur laborem tuus levat labor, profectus non ab importunâ aliquâ ambitione & ostentatione, sed communi omnium voto hæctenus desideratus, atq; adeò ad auctorem rectius intelligendum planè necessarius. Quia enim is tantum quædam Historiæ elementa subministrat, seu id agit, ut rivis degustatis, ad fontes expeditius penetretur, profectò hi aperiendi & commonstrandi erant, & quidem ejusmodi  $\chi\epsilon\iota\epsilon\gamma\omega\nu\iota\alpha$ , quæ non veluti per transfennam aspiceretur, aut meandris implicaretur, sed succincto & solido tramite procederet. Occurrebant & alia, ubi non modò discipline hujus tyrones, verum etiam profectu aliquo confirmati titubare possent. At quam ista in parte denuò industria tua amicam opem affert? Nec mehercle tanquam ad  $\delta\pi\omicron\delta\epsilon\iota\epsilon\iota\nu$  seu exemplorum prolationem hic aggredi libet. Sunt enim omnia in medio. Atq; ut argumento illi omnibus numeris satisfaceret, verbosior quæpiam Schola instituenda fuerat. Quare in presentia finem facio; estq; ea contemplationis hujus ad te mee summa: Cum plurimum de elaboratione ista Sleidano debeat, & liber ejus

*ad teneros auspantium animos informandos  
 plenè natus factus videatur, de illustrato eo, &  
 propemodum in integrum restituto meritum  
 tuum esse. Maëte ergo id genus lucubrationi-  
 bus, maëte reliqua statione tua tuenda, maëte  
 gratisimo mihi instituto, ut cum conatibus me-  
 is, quibus semper animo & linguis favisti, labo-  
 res tuos conjungere pergas. Sic enim & rem li-  
 terariam nostram vehementer ornabis, & ex-  
 cultissima illa Poësi tua, quæ sacra & cælestis  
 facultas nonnullis usurpatur, totque ingenii  
 monumentis partam jam ante nominis famam  
 incredibili cumulo augebis. Vale: è museo.*

*Judicium Thuani de Sleidano lib. 2. histor.  
 sui temporis.*

*Joan. Sleid. cujus fidei & diligentia multum  
 tribuo.*

*Libr. 2. & 7.*

*Sleidan. Argentinensium legatus, harum dili-  
 gens scriptor.*



ILLUSTRISSIMO  
PRINCIPIS,

EBERHARDO,  
DUCI WIRTEMBER-  
GICO ET TECKIO,

*Comitumque Mompelicardii,*

JOHANNES SLEIDANUS

S. P. D.



Quum ordinis vestri maximum  
sit ornamentum, DUX EBER-  
HARDE, literatura vel me-  
diocris, tum illa sanè quæ res  
gestas omnium ætatum in se comple-  
ctitur, imprimis conditioni Vestræ

convenit: Et apud nos quidem, qui Christi  
nomen profitemur, primum in eo genere lo-  
cum sibi vendicant Biblica scripta, quæ & o-  
riginem tradunt humani generis, & DEI vo-  
lun-

Iunitatem ostendunt, & misericordiæ simul ac iræ divinæ plurima nobis documenta subministrant. Ab iis proximè cognosci debet, quicquid de reliquis gentibus memoriæ proditum est. Nihil enim propemodum evenire potest, cujus non extet, & jam olim aliqua proposita sit effigies; quæ quidem in re permagnum habent adjumentum atque subsidium, qui rempublicam gerunt, si partem hanc eruditionis non negligant. Commodissima autem est illa ratio, quæ totum hujus mundi curriculum in *quatuor imperia* partitur. Ad *primum* quod attinet, destitui mur libris necessariis, & præter Sacram Scripturam ferè nihil habemus fide dignum, aut quo niti possimus. Fuit haud dubiè seculum, illud prorsus Heroicum, & rebus excellentibus ac memoratu dignis admodum illustre: Sed quòta pars eorum ad nos demanavit? Semiramis celebratur & Babylon & Sardanapalus, nec aliud ferè quicquam: Illud autem horrendum, & quo nullum fuit unquam magis terrificum aut triste spectaculum editum in uno aliquo homine, quod ipse de se Nabuchodonosor commemorat, ut est apud Danielem, quis attigit? Tantà videlicet potentiâ regem & Monarcham efferari, dejici regno, profligari sedibus avitis, extrudi foràs, ab hominum societate removeri, mutatâ naturâ pasci cum cæteris animantibus, & in belluam prorsus de-



degenerare? Simpliciter quidem ista nar-  
 rantur ibi; sed quò terrore perculsos es-  
 se credimus, qui divinæ majestatis & iræ  
 documentum hoc tam luctuosum viderunt?  
 Paucis ergò percurritur *Assyrium* vel *Ba-  
 bylonicum Imperium*, quod intra sacrarum  
 literarum cancellos placè sit consistendum,  
 reliqua verò tria, quæ sequuntur, *Gra-  
 cum* imprimis atque *Romanum* valde sunt au-  
 thorum scriptis illustrata, quos inter præ-  
 cipuum locum obtinent, *Græci* quidem, *He-  
 rodotus*, *Thucydides*, *Xenophon*, *Polybius*, nam  
 alii, quorum Cicero meminit, *Pherecy-  
 des*, *Hellanicus*, *Acusilas*, *Philistus*, *Ag-  
 thocles*, *Theopompus*, *Ephorus*, *Calli-  
 sthenes*, *Timæus*, *Clitarchus*, *Silenus* in-  
 terierunt: *Latini* verò, qui præscam scri-  
 pserunt historiam Romanam, quos & *Ci-  
 cero* nominat, desiderantur etiam; *Anna-  
 les Pontificum*, *Fabius Pictor*, *M. Portius*  
*Cato*, *L. Piso*, *Cælius Antipater*, *C. Van-  
 nius*, *Vennonius*, *Clodius*, *Asellio*, *Accius*,  
*L. Sisenna*. Nimirum hi sunt, è quibus con-  
 flavit suum opus, maximâ sui parte mutila-  
 tus, *T. Livius*, & hoc superior, *Salustius*,  
 imperfectus & ipse. *Cicero* quidem scriben-  
 di genus hoc non tractavit, sed tamen in  
 eo versatus est diligentissimè, sicut ipsius  
 libri demonstrant, qui passim tincti sunt  
 atque respersi totius antiquitatis memoria:  
 Sed

Sed & temporis fuit observantissimus, ita quidem, ut & rerum & personarum ætates ordine possint ex eò cognosci. Nam alioqui tenebricosum est, quicquid in literas refertur. Et quia dicere solebat, *historiam scribere, præsertim ut Græci, maximè esse oratorium*, idcirco Pomponius Atticus eum ad hanc scriptionem hortatur, dum & illam literis Latinis abesse queritur, & ipsum efficere posse dicit, ut in hoc etiam genere Roma Græciæ non cedat. Et quidem commentarium sui consulatus Græcè composuit, ac Latinum inchoavit, ut ait ipse. Nam valdè cupiebat illum suum annum celebrari scriptis aliorum; ad eò quidem, ut si cessarent illa, non se defuturum sibi, deque seipso scripturum esse diceret. C. *Cæsar* de suis ipse rebus tantum agit, nec à priscis illis quicquam est mutatus. Tunc etiam fuit *Diodorus Siculus*, & aliquanto post *Dionysius Halicarnassæus*: inde *Plutarchus*, *Svetonius*, *Cornelius Tacitus*, *Appianus*, *Herodianus*, *Trojus Pompejus*, *Ælianus*, *Q. Curtius*: verum ex ipsis etiam nonnulli, vel omninò, vel bona sui parte perierunt. Ab his extiterunt alii complures, qui sui quisque temporis, aut etiam populi, persecuti res gestas, ad hanc nostram usque memoriam pertingunt. Et hi quidem cognoscendi sunt omnes, aut certè bona pars



pars eorum, ut ea, quæ requiritur, facultas comparetur. Cognoscendi sunt autem alii propter ipsam rem, alii propter rem simul & stylum seu genus orationis: quo quidem in ordine primum locum solus propriè sibi jure vendicat inter Latinos, *C. Casar*. Nihil est enim eò purius, nihil elegantius: & non solum paulò posteriores, verum etiam æquales, omnes venustate sermonis longè superavit. Præter eos, de quibus dictum est, evolvendi etiam sunt *Ecclesiastici*, qui vel conversionem religionis, vel afflictiones piorum, vel Conciliorum & antistitum leges atque decreta perscribant. Et quia regnum Pontificium in sacris literis prænunciatur, investigandum etiam est ejus initium, progressus & incrementum, ut cum iis notis atque signis, quæ scriptura delineavit, conferri possit. Sed quia varium est, & multiplex, & impeditum hoc totum quod diximus argumentum, latissimeque campus iste patet, neque brevi aliquo tempore percurri potest, methodò quâdam studiis juvenilibus consulendum est, quoad facti grandiores, per omne genus authorum, suo Marte, quod ajunt, & libere vagari possint. Et hac quidem de causa scriptiorem hanc suscepi, quo videlicet ætas illa formam aliquam habeat atque notationem eorum, quæ discenda sunt, quam interea velut


veluti filium aliquod sequatur, dum sensim  
 adolescat in literis, & eò proficiat, ut hæc  
 abjicere possit atque contemnere. Nec e-  
 nim, ut his contenti sint, aut intra fines  
 istos maneat, eò scripsi; verum, ut gustum  
 aliquem percipiant futuræ lectionis, & va-  
 rietate rerum invitati magis excitentur ad  
 perlustrandum aliquando scriptores illos at-  
 que libros, unde sunt ista desumpta. *Cum*  
*autem ad eos, qui regendis populis præficientur,*  
*hoc studii genus propriè pertineat, ut initio di-*  
*ctum est, ætati simul & conditioni tuæ con-*  
*venienter me facturum putavi, Dux Eberar-*  
*de, si tibi lucubratiunculam hanc meam im-*  
 pertirem: quo per Te tuasque manus, ut  
 ita dicam, reliqua juvenus fructum ejus a-  
 liquem perciperet, si tamen ullus percipi po-  
 test. Quamquam enim in Te formando & e-  
 rudiendo nihil ad summam diligentiam reli-  
 qui faciunt ornatissimi viri, doctores tui,  
*Johannes Sigismundus, & Sebastianus Coccius,*  
 tamen ut in hortuli cultura, quem exquisi-  
 tum variisque flosculis depictum esse volu-  
 nus, non solemus aspernari plantulas & her-  
 bas aliunde nobis allatas, ita quoque non  
 ingratum futurum spero, quod ad ingenii  
 tui fundum excolendum à me defertur mu-  
 nusculum, & tantisper quidem defertur, so-  
 lummodò dum assumpto robore, sicut antea  
 dictum est, ipse per apertos campos & loca vi-  
 ren-

rentia volitare possis & exspatiari: Quia qui-  
 dem in re domesticum Tibi præluceat exem-  
 plum Patris Tui, laudatissimi principis, vir-  
 tus, qui splendorem generis eleganti doctri-  
 na non mediocriter auxit & ornavit: & quod  
 præcipuum est, hanc ipsam facultatem ad  
 eum finem confert, quem oportet, nimirum  
 ut nomen DEI celebretur, ut Ecclesiæ simul  
 & Scholæ benè constituentur, ut piis docto-  
 ribus alimenta subministrantur, & discipulis  
 etiam non desit, quo vitam tolerant. Hoc  
 enim officium imprimis ab ordine vestro De-  
 us requirit: & sicut illius neglectum gravi-  
 bus pœnis ulciscitur, ita quoque maximis  
 donis remunerat illos, qui sese fideles in eo  
 præbent dispensatores. Commemorari au-  
 tem possent nominatim illustrissimi parentis  
 Tui multa pietatis, constantiæ, fortitudinis  
 documenta: sed hæc olim suo tempore copio-  
 sius tractata leges, ac propria nobilitatis or-  
 namenta cognosces. Nam qui bonis ingeniis  
 ita favit, quomodo fieri potest, ut non ab  
 iis, quem meretur, fructum aliquando ferat  
 gratitudinis, & ad posteritatem celebretur,  
 Cum igitur & sui loci dignitatem, & injun-  
 ctum à DEO sibi munus intelligat, primam  
 hanc voluit esse curam, ut inde à teneris &  
 mollibus annis ad pietatem atque literas ani-  
 mus tuus informaretur: qui sensus est atque  
 stimulus amoris paterni, nihil ei possit eve-  
 nire

nire jucundius, quàm si industriâ tuâ superari  
 suam videat expectationem, Hanc autem in  
 partem & tuâ Te sponte propendere, quan-  
 tum hæc ætas ferre potest, & Præceptores  
 quoque tuos diligenter invigilare, nihil ad-  
 dubito. Quamobrem perge bonis auspiciis,  
*Eberardæ Princeps*: & cum sis ad gerendam Rem-  
 publicam natus, ea præsidia tibi compares, quæ  
 & perpetua sunt, & certam opem adferunt, &  
 laborem, qui tibi subeundus erit quandoque,  
 gubernanti Provinciam avitam non modò sub-  
 levant, sed facilem quoque reddunt atque sua-  
 vem, Vale. Argentorati, Anno salutis

M D LVI.





JOHANNIS SLEIDANI,

*De*

QUATUOR SUM-  
MIS IMPERIIS,

*LIBER I.*

**P**riusquam de Quatuor  
summis & præcipuis orbis  
terrarum Imperiis dicam,  
de BABYLONICO, PERSI-  
CO, GRÆCO, ROMANO,  
breviter hoc mihi præfandum est, in an-  
norum supputatione ab orbe conditō, ma-  
gnam esse dissensionem: Nam & Hebræi  
& Eusebius & Augustinus & Alphonsus &  
Mirandula multum inter se discordant.  
Veruntamen, quia pleriq; nostri seculi Vi-  
ri docti rationem Hebræorum, hâc qui-  
dem in parte, sequuntur, vestigiis eorum &  
ipse insistam, cum res ita feret:

A

Tal-



<i>Annos ab orbe con- ditō ad Christum natum numerant</i>	<i>Heb. ei</i>	}	<i>Talmudici 3784.</i>
			<i>Rabbini recentes 3760.</i>
			<i>Josephus 4102.</i>
	<i>Græci</i>	}	<i>Me. hoodorus 5000.</i>
			<i>Eusebius 5190.</i>
			<i>Theophilus 5476.</i>
	<i>Latini</i>	}	<i>Hieronymus 3941.</i>
			<i>Augustinus 5351.</i>
			<i>Isidorus 5210.</i>
	<i>Recen- tiores.</i>	}	<i>Beda 3952.</i>
			<i>Alphonsus 5984.</i>
			<i>Picus 3970.</i>
<i>Alii 3962.</i>			

*Vide Gilberti Genebrardi lib. 1. chronographi.*

Ac principio quidem, ut ad institutum  
veniam, ad primum videlicet Imperium,  
omissis illis, quæ in omnium primam æta-  
te non inciderunt, omisâ quoque narratione  
diluvii, quando quidem sacris literis hæc  
omnia continentur, neque melius dici pos-  
sunt, *Genes. 1. 2. 3. 4. 5. & 6.* exordium mihi su-  
mam ab eò tempore, quò dissipatâ rursus a-  
quarum mole, & deficcata terrâ, genus hu-  
manum, tunc ad paucissimos redactum, de-  
notò propagari cœpit.



Xenophon in *Æquivocis* tradit, sex inundationes maximè celebratas recenseri. Tempus autem hujus diluvii in autumnum refert Josephus *Antiquit. lib. 1. c. 5.* alii in tempus vernum collocant, quòd credibilius sit, Mosè supputare menses eò more, quem ipse Israëlitis tradiderat. Item, quòd folium oleæ, ad Noam allatum à columbâ, vernum tempus monstrat, quæ teste Plinio *lib. 16. c. 25.* tum floret.

Diluvii tempus ad annum ponitur orbis conditi millesimum, sexcentessimum, quinquagesimum sextum. [*Ante Æ. V. 1294.*] Methusalah autem, septimus ab Adam, hoc ipsò tempore moritur, annos natus non-gentos sexaginta novem, *Gen. 5.* Erat tum Noah, Nepos Methusalah ex filiò Lamech, sexcentorum annorum, *Gen. 7.* & singulari DEI beneficiò cum suâ familiâ, servatus, ubi jam paulatim augesceret hominum numerus, author suis liberis atq; posteris fuit, ut in diversas regiones profecti, terram colerent, & oppida sibi constituerent, suam deniq; cuiq; provinciam sorte illis designavit, annò circiter centesimo post diluvium. *Epiphanius in Panario heresi 66. Sulpit. Severus lib. 1. Sc.*

Quô quidem tempore Nimrod, Nohæ  
 pronepos, unâ cum suis in terrâ Chaldæo-  
 rum confedit. Cùmq; tandem, crescente ho-  
 minum multitudine, migrandum esset  
 quàm plurimis, & diversæ quærendæ fedes  
 atq; coloniæ, voluerunt antea perpetuum  
 sui monumentum relinquare, & duce Nim-  
 rodô cœperunt urbem ædificare, in eâque  
 summæ turrim altitudinis, *Gen. 10. v. 10, Gen.*  
*11. v. 4.* & immemores iræ divinæ, quæ nu-  
 per totum orbem terrarum absorpserat, &  
 de quâ diligenter ac sæpè multumq; Noah  
 illis haud dubiè concionatus erat, nominis  
 sui famam superbis & ambitiosis operibus  
 extendere cogitabant. *D. Hieronymus in 14.*  
*caput Esaiæ, turrim hanc vocat arcem, seu Ca-*  
*pitolum, in urbe Babylone, Credibile autem est,*  
*historiam istam Poëtis occasionem dedisse, fin-*  
*gendi fabulam de Gigantibus, qui congestis al-*  
*tissimis montibus, cælum oppugnare conati*  
*sunt. Michael Glycas in ædificatione turri*  
*40. annos consumptos scribit.*

Offensus autem DEUS, irritos fecit il-  
 lorum conatus, lingvarum immisâ con-  
 turbatione, cùm prius unum fuisset &  
 idem

idem sermonis genus apud omnes. Itaq; ab opere inchoatô coacti desistere, in varias mundi partes abierunt. *Josephus l. 1. cap. 5.*

Ab hâc lingvarum conturbatione nomen urbs accepit, ut Babel diceretur: ab eôqve tempore, nimirum ab annô post diluuium circiter CXXXI. regni Chaldæi sumitur initium, & Babylonici. *Jos. Antiqu. Jud. lib. 1. cap. 5. Augustin. de civit. DEI lib. 16. c. 4. & 11. lib. 17. c. 16. Berosus lib. 4. Matth. Beroaldus lib. 3. Chronicorum c. 2. Babel, ait, unde est Babylonis profectum vocabulum, idem est, ac si dicatur Ba, id est, venit, & Bel, hoc est, confusio, id est, pro gloria, quam homines DEI securi somniabant, & querebant. retulerunt justo DEI judicio confusionem & ignominiam.*

Primus autem REX fuit is, quem diximus NIMROD, qui LVI. annis præfuisse dicitur: hunc Scriptura vocat ROBUSTUM VENATOREM, & vim atq; potentiam ei tribuit, *Gen. 10. 1. Paral. 3. Mich. 5. Terra Babylonica terra Nimrod nominatur.*

Alii Saturnum vocant, eumqve Imperii sui anno XLV. misisse principes ajunt co-

loniarum huc illuc, ASSUR, MEDUM, MAGOGUM, MOSCUM, qui regna sui nominis conderent, Assyrium, Medum, Magogum, Moscum: è quibus duo quidem illa prorsus ad Asiam, tertium autem atq; postremum ad Asiam atq; Europam pertinent. *Berosus lib. 5. Xenophon in Æquivocis. Archilochus de temporibus. GOG & MAGOG non esse certas gentes, Augustinus lib. 20. cap. 11. de Civitate DEI, demonstrat. Adde, quæ habet Vives interpret. Suidas in voce Magog Persas à popularibus suis Magog & Maguseos appellari scribit.*

Ipsius Assur meminit etiam sacra Scriptura *Gen. 10.* & Niniven urbem ædificatam ab eò dicit. *Niniven urbem Herodotus librò primò, in ripâ Tigris conditam fuisse refert. Meminit & Lucianus, in Charonte. Hieronymus in locis Hebraicis, duas hujus nominis urbes facit: Unam Assyriorum, ab Assur ædificatam. Aliam in Arabia angulo, suo tempore corruptè Nenevet vocatum.*

Nimrodo successit filius JUPITER BELUS, *Berosus lib. 5.* qui ad occidentem Solem occupâsse traditur omnem agrum in Sarmatiam



tiam usque Europæam, ac deinde bellum quoque fecisse Sagarum regi Sabbatio, quem non ipse quidem, eò quòd morte præpediretur, sed ipsius filius Ninus oppressit, & productis longè latèque finibus, Monarchiam primus omnium cœpit. *Meminit Beli Archilochus, Orosius lib. 1. cap. 1. Marcellinus, lib. 23. Ninus memoratur à Strabone, Diodoro, Justino. Videatur Augustinus de Civit. Dei, lib. 16. c. 3. & 15. l. 18. c. 2.*

Trecentis quinquaginta post diluvium annis [*Ante Æ. V. 1944.*] Noah moritur, *Gen. 9.* & duodevigesimali, post annò circiter, [*Ante Æ. V. 1927.*] ABRAHAM, decimus à Noah, jussus à DEO, patriam relinquit, *Gen. 12.* cum esset annorum septuaginta quinque: vigesimali quartò autem annò postea, fœdus cum illò facit DEUS, per circumcisionem, quam instituit, *Gen. 17.* Centesimali ætatis annò [*Ante Æ. V. 1902.*] natus est ei filius ISAAC: *Gen. 21.* post illud tempus vixit annos septuaginta quinque, [*mortuus ante Æ. V. 1827.*] Nam humanæ vitæ spatium multò jam erat contractius.



Quomodo nepos ejus JACOB, quâque occasione devenerit in Ægyptum, ibique sit mortuus, quomodo deinde ipsius posteritas aliquot seculis in Ægypto permanferit, & durissimâ servitute pressa, beneficio Dei, per Mosen administrum, educta fuerit atque liberata, sacræ literæ docent. *A Gen.c.36. usque ad Ex.c.14.*

Ponitur autem hæc emigratio Israëlis ex Ægypto, ad annum Orbis Conditi millesimum, quadingentesimum, quinqvagesimum quartum, (*Ante Æ.V.1497.*) nempe quadingentis annis & triginta, post promissionem Abrahamo datam, ut ait Paulus Apostolus, *Gal.3.*

Post Mosen, JUDICES habuit populus Israëliticus, ad Saulem usque, cui DAVID successit, [*Ante Æ.V.1060.*] Rex alter ejus populi, *1. lib. Paralip. Joseph. in Antiquit. Judaic.*

Nunc ad BABYLONICUM IMPERIUM revertamur. Ninô mortuô, regnavit ejus uxor SEMIRAMIS, quæ divitiis & victoriis & triumphis nulli mortalium cessit. Babylonem oppidum extendit, & justæ magnitudinis urbem

urbem effecit, & variis ornavit ædificiis, murôqve cinxit. *Berosus L. V. Propertius lib. 3. Elegia 9. Dionys. in descriptione orbis.*

Æthiopiam devicit, & in Indiâ quoqve bellum gessit.

*Archilochus, Diodorus Siculus l. 3. Strabo, Justinus lib. 1. Augustinus de Civitate Dei lib. 18. cap. 2. Orosius lib. 1. c. 4. Jornandes lib. 1. Suidas in voce Semiramis.*

Ejus filius ZAMEIS, quintus Rex, nihil memorabile perfecit, sed proximus ab eo Arius, Bactrianos & Caspios imperio suo conjunxit. *Berosus lib. 5. Justinus 1. Diodorus 3. Metasthenes, Cassiodorus, Eusebius, Jornandes.*

Qui successit huic ARALUS, ingenio quidem & studio militari clarus fuisse traditur, quid autem gesserit, non est proditum literis. *Beros. l. 5. Eusebius, Cassiodorus, Metasthenes, Augustinus lib. 18. cap. 3. de Civitate Dei, Jornandes.*

Alter ab eo BALEUS, quàm plurimas gentes domuit, suosqve fines ad Judæam usq; produxit, ideoqve Xerxes fuit cognominatus, hoc est, victor & triumphator, seu bellator.

tor. *Beros. lib. 5. Herodotus lib. 5. Eusebius, Cassiodorus, Metasthenes, Augustinus, Jornandes.*

ARMATRITES nonus, voluptatibus & otio planè fuit addictus. *Cassiodorus Armametreum vocat. Augustin. lib. 18. cap. 3. Jornandes.*

DE BELOCHO X. nihil traditur, nisi quòd auspicia curavit, & divinationes. *Metasthenes Priscum nominat. Augustinus lib. 18. c. 3. Jornandes.*

BALEUS undecimus, alteram à Semiramide laudem habet virtutis & industriæ militaris, & doctorum hominum scriptis valdè celebratus fuisse dicitur. *Berosus, Metasthenes, Augustinus lib. 10. cap. 4. Cassiodorus, Jornandes.*

ALTADAS XII. otium & vitæ tranquillitatem secutus fertur, eò quòd stultum esse duceret, multis defatigari laboribus, & variis implicari curis, amplificandi regni causâ: quoniam ea res ad nullam hominum salutem & utilitatem, sed ad detrimentum potiùs atque servitutem pertineret. *Metasth. Cassiodorus, Jornandes.*

Qui hunc excepit, MAMITUS XIII. belli curam atque laborem in suis iterum excitavit,

citavit, ejusque fuit suspecta potentia Syris & Ægyptiis. *Berosus lib. 5. Metasthenes, Augustinus l. 18. c. 7. Jornandes.*

IN MANCALEO XIV. narrandi deficit argumentum. *Metasthenes. Cassiodoro dicitur Magebaleus. Jornandes.*

SPHÆRI XV. magna dicitur fuisse virtus atque prudentia. *Metasthenes, Augustinus l. 18. c. 8. Jornandes.*

MAMELI XVI. nullum facinus commemoratur. *Metasthenes, Jornandes.*

Sub SPARETO XVII. proditum est, passim accidisse miranda. *Jornandes.*

Qui fuit XVIII. ASCATADES, omnem Syriam suæ ditionis fecit. *Jornandes & alii.*

Et hætenus quidem is, qui circumfertur, BEROSUS : de quo quidem scripto plerique omnes valde dubitant, & adulterinum esse putant : sed quoniam aliis monumentis hæc in parte destituimur, hunc ordinem sequimur. *Beatus Rhenanus rerum Germanicarum lib. 3. Ludovicus Vives commentario in Augustinum de Civitate DEI, c. 4. lib. 7. Caspar Peucerus in Chronico, Guilielmus Cambdenus in sua Britan-*



nia, aliique plurimi adulterinum censent Berosi scriptum. Videatur præterea Casparis Varrerii censura de Beroso Romæ excusa.

Ab aliis deinde reges viginti numerantur ad SARDANAPALUM usque, trigèsimum octavum Assyriorum regem. *Metasthenes, Cassiodorus, Eusebius, Fernantes.*

Fuit hic omnium hominum longè effœminatissimus: inter mulierculas perpetuò desidens, colum & lanam tractabat, adeò totus immerfus voluptatibus, ut vix unquam sui conspectum præberet. His rebus alienati ab eò duo quidam ejus præfecti, BELOCHUS, Babylonix, ARBACES autem Medorum, factâ conjuratione, cum turpitudinem ejus atque mollitiem vulgò traduxissent, bellum fecerunt. Ipse cum suo semiviro comitatu (*Virg. 4. Æn.*) vix tandem progressus in aciem, re malè gestâ, profugit in regiam, & constructâ pyrâ, se, divitiasque omnes, in ignem abjecit, (*circa annum ante Æ. V. 875.*) hœc unô factô virum imitatus, ut quidam ait de Sardanapalô. *Justinus lib. 1. Vellejus lib. 1. Athenæus lib. 12. cap. 12. Oros. lib. 1. cap. 19.*

*Au-*



*Augustinus lib. 2. cap. 20. de Civitate Dei, Cicero 5. Tuscul. quest. Ovid. in Ibin. Jornandes lib. 1. Suidas in voce Sardanapalus & κωνοσχογκόςλορ. Constantinus Manasses in Annalibus de merito Sardanapali variat.*

Hi duo præfecti Monarchiam post inter se partiuntur, & Belochus quidem Babylo- nis, Arbaces verò Medorum atque Persa- rum rex factus est. *Arbaces hic Justino Ar- bactus dicitur lib. 1. Orosio lib. 2. cap. 2. Arba- tus: Vellejo mendosè Pharnaces pro Arbaces.*

Fuit ergò Sardanapalus Assyriorum rex postremus, in eò quidem ordine, quum ad mille trecentos annos ea Monarchia stetit: nam plerique reges omnes diutissimè vixerunt. *Jornandes 1240. annos numerat.*

BELOCHUS XXXIX. aut si magis libet, primus Assyriorum Rex, in novà Monar- chiâ, Manahen regem Israëlis, vectigalem sibi fecit. *Metasthenes.* Hunc Scriptura sacra non Belochum, sed PHUL appellat. *2. Reg. 15. 1. Par. 5.*

Ei successit PHUL ASSUR, cognomento TIGIATH PILLESSER, qui urbes aliquot Judææ cepit, & populum in Assyrios

captivum abduxit: 2. *Par.* 28. hunc ipsum Tiglat Achas rex Juda, sub quo vixit Esaias, de auxiliis interpellavit adversus regem Syriæ ei que dona misit. *Es.* 7. & 9. hoc fœdus vehementer dissuadetur.

Tiglath regem secutus est SALMANASSER, qui Samariam urbem, post trium annorum obsidionem, cepit, & Hoseam regem Israelis, unaqueque populum abduxit, & per suam ditionem illis domicilium attribuit, etiam in Medis, ut ait Scriptura. [*Ante A. V.* 723.] Unde quidam colligunt, ipsum imperasse quoque Medis. *Josephus* l. 9. c. 13. seqq.

Eum excepit SENNACHERIB, qui Niniven urbem inhabitavit: Ezechiam regem Judæ mulctavit pecuniis, ac deinde cum ingenti exercitu Hierosolimam obsedit, 2. *Reg.* 18. & missis legatis, populum ad defectionem hortabatur, & regem, quod auxilium à suo DEO speraret, irridebat; Sed non tulit impunè: Nam percutiente angelò DEI, desideravit unam nocte, ad centum octoginta quinque hominum milia, quod Ezechia regi paulò antea per Esaiam DEUS confirmaverat: 2. *Reg.* 19. 2.

*Par.*

*Par. 32. Sir. 48. Es. 37. 1. Macc. 7. 2. Macc. 8. & 15.*

Deinde domum reversus, à suis ipse liberis fuit interfectus. *Joseph. lib. 10. Antiquitatum Judaicarum, cap. 1. & 2.*

Huc usque Babylonii, post debellatum Sardanapalum, Assyriis paruerunt. Cùm autem Sennacherib tantam, ut diximus, calamitatem ad Hierosolymanam accepisset, neque multò post à suis filiis esset trucidatus, *Es. 37. v. 38.* magna fuit infecuta rerum mutatio, & divisum est regnum. Nam qui eam cædem fecerant, duo fratres, Adramelech & Sarasar, profugerunt quidem, sed nihilominus vim & arma pararunt in fratrem ASSARADONEM, qui post necem parentis regnum occupaverat, cùm antea quoque per absentiam illius Rempublicam gessisset, *2. Reg. 19. Es. 37. Metasthenes.*

Hanc adeptus occasionem rei benè gerendæ, MERODACH Babyloniæ præfectus descivit, & indictò bellò, cùm vicinas undiqve gentes, partim gratiâ, partim vi, paulatim ad se traduceret, duodecimò demum annò sui regni, devictò Assaradone,

done, totum Assyriorum Imperium Baby-  
loniis adjunxit, & XL. post annis regnavit.  
*2. Reg. 20. 2. Par. 32. Metasthenes, Esaias. c. 39.  
& 50. Joseph.*

Ab hoc nonnulli ponunt BENMERODACH  
& NABUCHODONOSOR, ejus nominis primum.  
(*Metasthenes*) Sed quia literæ sacræ nihil eâ  
de re produnt, nec aliis temerè potest adhi-  
beri fides, eum Nabuchodonosor, de quo  
Scriptura sacra plurimam mentionem fa-  
cit, proximum à Merodach numerabimus.  
*2. Reg. 24. Jerem. 46. Joseph. lib. 10. cap. 7.*  
Is ergo statim à primis annis bellum fecit  
Ægyptiis, & regionem omnem, quæ est in-  
de ab Euphrate usque ad Pelusium, illis a-  
demit. *Pelusium nominatur à Suda clavis  
Ægypti, & ingressus & exitus.*

Jochim regem Juda vectigalem sibi fe-  
cit, & octavo sui regni anno (*Ante Æ. V. 601.*)  
filium Jechoniam Regem, unâ cum præci-  
puiis viris & artificibus, non tantum urbis  
Hierosolymæ, sed totius quoq; regionis, Ba-  
bylonem captivos abduxit. *2. Regum 24.*

Anno XVIII. sui regni, (*Ante Æ. V. 540.*)  
Hierosolymam obsessam per biennium,  
cepit,

cepit, ac paulò pòst diripuit, incendit, muros diruit, potissimam populi partem captivam abduxit, regem Zedechiam exoculavit, filios illius atq; proceres interfecit. 2. Reg. 25. 2. Paralip. 36. Joseph. l. 10. c. 1. Hanc verò calamitatem Hieremias annò primò regni Nabuchodonosor prædixerat: Jerem. 25. & ult. Et ab hòc quidem tempore numerandi anni LXX. captivitatis Babylonicæ.

Ad annum circiter XXIV. sui regni, Nabuchodonosor, devictis Ammonitarum & Moabitarum regibus, Jer. 4. exercitum duxit in Ægyptum, & occupatâ regione totâ, MONARCHIAM pòst inchoavit.

Alterò annò Monarchiæ, sicut nostri temporis Viri docti rationem putant. (Lutherus, Funccius & alii in Chronologiis.) per somnium vidit statuam ingentem, cujus erat caput aureum, pectus unâ cum brachiis argenteum, venter & femora ex ære, crura ferrea: pedum pars aliqua ferrea, pars autem fictilis. Dan. 2. Joseph. Antiqu. Judæicar, l. 10. c. 11. Expergefactus, cum non recordaretur somnii, & tamen valdè esset attonitus, convocatis ariolis & divinatoribus,



bus, mandat, ut, quæ fuisset somnium, explicarent, nisi facerent, capitis pœnam denunciaret. Eâ recognitâ, Daniel adolescens, qui cum reliquis fuerat captivus eò deductus Hierosolymâ, nunciabat, se posse regis desiderio satisfacere: productus, incipit, & primò quidem, quid somniârit, ostendit, deinde, quid sibi vellet somnium, interpretatur: & statuat illam significare dicit quatuor orbis imperia summa, quæ sint ordine successura, & ad ipsum regem oratione conversâ, *Tu, inquit, quem & summâ potentiâ Deus ornavit atq; gloriâ, cui dedit imperium in omnes homines, & bestias agri, volucresq; cœli, tu nimirum es illius statue caput aureum, post te regnum aliud orietur argenteum, videlicet deterius, quàm sit hoc tuum: deinde tertium aliud æreum, quod*

quod longè latèq; dominabitur:  
 Regnum verò quartum erit  
 ferreum. Nam sicut ferrum  
 cominuit & perdomat omnia,  
 sic etiam quartum & postre-  
 mum illud reliqua omnia  
 confringet, sibiq; subjiciet.

Doctrinam hanc de quatuor orbis terrarum  
 catholicis Imperiis seu Monarchiis, post Rab-  
 binos impugnavit Johannes Bodinus Gallus,  
 in sua historica Methodo, cui præter alios re-  
 sponderunt Matthæus Dresserus, Andreas  
 Franckenberger, & Johannes Pappus.

Hoc igitur primum est inauditum antea  
 vaticinium, de quatuor Imperiis, quod  
 nobis est per Danielelem divinitus pate-  
 factum, res planè digna, quæ memo-  
 riæ tota commendetur, quia tempo-  
 rum omnium historiam, ad finem us-  
 que mundi, paucis complectitur, ut postea  
 sum dicitur 9. l. 3. in fin. Nunc satis est videre,  
 hoc primum tempore Deum aperuisse nobis  
 imperiorum ordinem ac vicissitudinem,

Quan-

Quanta verò fuerit potentia Nabuchodonosor, magis etiam perspicuum est ex eò, locò Danielis, ubi Scriptura comparat eum Arbori, quæ ad cælum usq; pertingat, quæ totum orbem terrarum velut obumbret, cujus folia sunt longè pulcherrima, & fructus omnium uberrimus, quo saginetur & pingvescat, quicquid est animalium, cujus in frondibus atq; ramis omne genus volucrum nidificet & quiescat. *Daniel. 1.*

Est igitur hæc PRIMA MONARCHIA : quæ sicut hoc rege vehementer aucta fuit, & ad summum educta fastigium, ita quoq; desiit, ac planè deleta fuit in ipsius nepotibus, quemadmodum per Danielelem DEUS, aliosqve Prophetas, denunciaverat. Regnavit Nabuchodonosor annis XLIII. *Josephus contra Appionem lib. 1. & Antipvit. Jud. 1. 10. c. 12. Metasthenes 45. ei assignat, assumptò biennio, quo patris in imperio consors fuit.*

Quàm horrendò spectaculò DEUS & exemplò superbiam ejus, ut Daniel ait *cap. 4. & 5. Joseph. Antiquit. lib. 10. cap. 10.* sit ultus, operæ pretium est, ut cum omnes mortales, tum reges imprimis ac viri prin-

principes diligenter legant & considerent, quò videlicet majestatem divinam reverentur, & officium suum erga populum sibi commissum faciant.

Successit ei filius EVILMERODACH. 2. *Regum* 25. *Fer. ult.* Is regnavit annis triginta, & successorum habuit ASSUR, qui tribus annis præfuit. Hunc excepit LABASSARDACH, septem annorum rex. Ab hoc imperii summam obtinuit BALTHASAR annis quinque; *Metasthenes* & post eum autor *historiæ Scholasticæ Petrus Comestor.* Vide *Joseph. Antiquitatum Judaicarum lib. 10. c. 13. & lib. 1. contra Appionem.*

Ad hunc modum eos nonnulli recensent; verum ætatis nostræ viri docti, *Philippus* & alii, his duobus omissis, ab Evilmerodach rege numerant Balthasarem filium, eumque per annos quatuordecim regnasse ferunt: quod quidem necesse est, ut conficiantur anni sæptuaginta, quibus apud Babylonios captivus fuit populus Judaicus: cum hujus captivitatis initium sumatur ab annò decimò nonò regni Nabuchodonosor.



Qui rationem hanc sequuntur, & duos illos reges, de quibus dixi, prætermittunt, Scripturæ vestigiis insistant, & Hieremiæ præsertim testimonio, *Jerem. 27. v. 7.* qui futurum prædixit, ut Judæi servirent regi Babel, ejusq; filio, filiiqve filio. Sed hic liberum sit suum cuiq; judicium. Balthasar autem, ut ait Scriptura, *Dan. 5.* postremus fuit Babyloniorum rex, in eoque pariter omnes consentiunt. (*Joseph. Antiquit. lib. 10. c. 33.*)

Jam quomodo capta sit Babylon, non ab uno describitur: (*Xenophon lib. 7. παιδ.*) quomodo autem imminentem regi calamitatem, & jam præsentem DEUS illi denunciaverit, Daniel commemorat, *Dan. 5.* & interfecto rege, summam Imperii translata esse dicit ad DARIUM MEDUM, tum LXII. natum annos. *Joseph. Antiquitat. lib. 10. cap. 13.*

Hic Darius à scriptoribus, (*Herodoto lib. 1. Xenophon. lib. 5. & 8. παιδ.*) vocatur CYAXARES, fuitqve filius Astyagis, quem Daniel AHASVERUM vocat, octavi Medorum Regis, & cum sobolem masculam non haberet, filiam suam in matrimo-



num dedit Cyro Persæ, Sororis filio, & bello laceffitus à Rege Assyriorum, in auxilium accersivit Cyrum, *Herodot. l. 1.* qui profectus eò cum copiis, & factus Imperator totius exercitus, feliciter rem administravit, urbe captâ potentissimâ. Post hanc victoriâ non amplius año Darius vixisse traditur, *Dan. 9.*

Et hoc quidem tempore, quum captâ Babylone Darius adhuc viveret, jamq; per annos ferè septuaginta populus Israëliticus esset in Babylone captivus, Danieli, revolventi Hieremiam, (*Jerem. 25. & 29. Dan. 9.*) ejus captivitatis prænuncium, & precanti, Deus multò majora patefacit, & non solum instare liberationem confirmat, sed quo tempore sit etiam venturus Messias, qui pro peccatis hominum satisfaciat, ostendit.

A morte Darii summa rerum ad CYRUM generum delata fuit. & hoc quidem est ALTERIUS INITIUM MONARCHIÆ. Jam enim & Assyriam & Mediam & Persiam solus Cyrus obtinebat ad Jonium usque mare, sicut Thucydides ait, cum ante captam Babylonem prælio cepisset Cræsum, Lydiæ regem potentissimum,

*Herodotus lib. 1. Justinus lib. 1. Orosius lib. 2. c. 6. Suidas in voce Cræsus.*

Est ergò CYRUS Persarum Rex primus & autor SECUNDÆ MONARCHIÆ.

Devictis Babylonis, bellum gessit cum Scythis, eoqve profectus ipse cum exercitu, circumventus tandem fuit per insidias, & interfectus, princeps laudatissimus. *Justinus lib. 1. Valerius Maximus l. 9. c. 8. Oros. l. 2. c. 7. Frontinus Stratagem. lib. 1. cap. 5.*

Initio sui regni, post captam Babylonem, populo Judaico permisit, ut ex captivitate domum reversi, templum ac urbem Hierosolymam reedificarent, ad eamque rem sumptum liberalissimè subministrari jussit. *2. Par. 36. l. 1. Esdræ c. 1. l. 3. Esdræ c. 2. Joseph. Antiqu. l. 11. c. 1.*

Hoc DEUS per Esaiam, *cap. 44. & 45.* seculis aliquot antè, quàm nasceretur ille, prænuñciaverat nominatim.

De animarum immortalitate differenter ad filios ante mortem, Xenophon (*lib. 8.*) introducit, ut est apud Ciceronem, (*Cicero in Catone Majore*) qui locum illum eleganter, ut omnia, vertit. Ad  
septua-

septuagesimum annum Cyrus pervenit: regnavit annis triginta, quum XL. natus regnare cœpisset.

Filius ei fuit CAMBYSES, quem domo proficiscens in bellum Scythicum. regno præfecerat. *Herodot. lib. 3. Justinus l. 1.* Is, absente & occupatō patre, cepit Ægyptum: bello quidem egregius, sed alioqui vitiosus, & patris virtutem minimè repræsentans. Inter alia turpiter immaniterq; facta, fratrem quoque suum infidiosè necari iussit.

In iis libris, quos de legibus Plato conscripsit, *Lib. 3.* valdè Cyrum in eō peccasse dicit, quòd molliter filios inter fœminas educasset, qui grandiores facti, & ab assentatoribus corrupti, quum ipsorum auribus plerique servirent, mortuo parente, vitæ periculum alter alteri creârunt.

Cambyfi secundo Persarum regi, qui post mortem patris non diu superites fuit, DARIUS successit, filius Hytaspis. (*Herodotus libr. 3.*) Et quoniam, à morte Cyri, ac post tantam exercitus calamitatem nonnulli populi, & in his Babylo-

nii, à Persicò Regnò defecerant, statim ab initiò principatus arma sumpsit, & imperio suo rursus illos adjunxit, captâ quoque Babylone post longam obsidionem, operis Zopyri, *Herodotus lib. 3 Justinus lib. 1. Plutarchus in Apoph. Suidas in voce Zopyrus.*

Bellum deinde suscepit in Athenienses (*Herodot. 6. Plato in Menexeno. Plutarchus in Arist.*) qui subito collectis copiis, neque Lacedæmoniorum expectati auxiliis, ad decem millia hominum, ingentem illius exercitum, (*ad sexcenta millia fuerunt, Justin. lib. 2.*) ad Marathonem, duce Miltiade, fuderunt. [*Ante Æ. V. 491.*] *Plutarchus pugnam Marathoniam ferè à trecentis historicis descriptam esse, affirmat.*

Cogitabat redintegrare bellum Darius; verum in ipsò conatu mortuus, filium habuit successorem XERXEM qui decimò annò, quemadmodum Thucydides ait, post prælium illud ad Marathonem, (*Ante Æ. V. 480.*) innumerablem cum exercitu venit, ut Græciam omnem sibi subjugaret, *Justin. lib. 7.*

Itaq̃

Itaque rei gerendæ summa, de communi consensu fuit demandata Lacedæmoniis, (*id est, Spartanis, duce Leonidâ,*) quod si totius Græciæ plurimum tunc poterant; Athenienses verò, secuti consilium Themistoclis, (*Justin. lib. 2.*) urbe desertâ, suis liberis & uxoribus huc illuc depositis, naves conscendunt, & hostem ad Salaminem insulâ prælio vincunt, *Herodotus lib. 8. Diodorus lib. 11 Orosius lib. 2. cap. 10. Plutarchus in Themistocle, Cornelius Nepos in vita excell. Imper. Gell. lib. 17. cap. 21.*

Ea victoria toti Græciæ fuit salutariis: nam terrâ (*ad Plateas, ducibus Pausania & Aristide,*) quoque profligatus, turpi & infelici fugâ domum Xerxes revertit, & Græci quidem etiam, post discessum illius. Verùm Athenienses, quî classem haberent, ad quadringentas (*200, naves fabricasse refert Justin. lib. 2.*) circiter naves, profecti longius & insculti, Sestum oppidum in Hellepontô, quod Persæ tenebant, capiunt (*duce Xantippo, Herodotus in fin. lib. ult.*) & ibi peractâ hyeme reversi domum, suas uxores atque



liberos recolligunt, & urbis, quam hostis captam incenderat, mœnia restaurant, Themistoclis consilio, Thucyd. initio lib. 1. portumq̄ve muniunt. Bellum hoc Persarum, vel, ut Thucydides vocat, Medorum, eodem ferè tempore fuisse scribit Cicero in *Bruno* & *Lelio*, quò Bellum Volscorum, cui Coriolanus exul Romanus interfuit. Id autem incidit in annum urbis conditæ CCLXVI. [*Ante Æ. V. 487.*] *Plutarch in Coriolano. Dionys. lib. 8. Plinius de Viris Illustr.*

Persicum illud bellum descripsit. Herodotus *Lib. 7. 8. & 9.* Thucydide prior. Eum Cicero *lib. 1. de Legib.* vocat patrem historiae, sed innumerabiles apud eum fabulas esse dicit.

*Exat liber Plutarchi Ἐὐκωνος ἑταῖρος Ἡρ. δ. τζ; sed huic responderunt Henricus Stephanus & Joachimus Camerarius VV. CL. Videatur Andreas Alciatus præfatione in Tacitum, & Ludovicus Vives lib. 2. de causis corruptarum artium.*

Munitionem hanc Atheniensium indignè, quidem ferebant Lacedæmonii, sed quum aliud non possent, mussabant.

Coniunctis etiam viribus, tum ipsi, tum aliqui Græci, & Athenienses, Cyprum capiunt & Byzantium urbem, quam Persæ tenebant.

*Thucyd. lib. 1. Orosius, Justinus lib. 9.*

Erant tunc inter alios Lacedæmoniorum duces, PAUSANIAS, qui convictus proditoris, cum domum redisset, & obsessus in quodam asylo, fame fuit enecatus. THEMISTOCLES etiam accusatus hoc nomine, profugit. *Cornel. Nepos in vit. excell. Imperat.*

Multis deinde variisque bellis & dissidiis jactata Græcia fuit, partim externis, partim civilibus, quæ Thucydides obiter exponit; sed tandem, quinquagesimo nimirum anno, post Xerxis à Græciâ discessum, ut post Thucydidem ait Cicerò, *Lib. 1.* bellum illud ingens natum est, [ *Ante Æ. V. 431.* ] quando Peloponnesus tota conjuravit in Athenienses, quorum in eò bello Dux erat Anaxagoræ Philosophi discipulus, PERICLES, *Justin. lib. 3.* quem dicendo fulgurare, tonare, permiscere Græciam, ait Aristophanes, ( *in Acharnensibus,*

*actus 2. scena 5.*) Nam iidem erant olim & virtutis & eloquentiæ magistri. *Repetit hoc ex Aristophane Cicero in Oratore. Habet eundem locum Plinius lib. 1. Epistola 20. ad Cornel. Tacitum.*

Ex alterâ parte summæ rei præfectus fuit ARCHIDAMUS, rex Lacedæmoniorum.

Periclis erat æqualis & æmulus THUCYDIDES, qui & bellum illud descripsit. *Thucydides Historicus non idem est cum hoc Periclis æmulô, ut Xylander vir iudicii & doctrinæ laude excellentiss. in Plutarchi Periclem annotat.*

In præturâ collegam Pericles habuit Sophoclem, Poetam Tragicum, ut Cicero narrat 1. *Off.*

Nunc ad Xerxem revertamur. Is, re malè gestâ, cum in magnum contemptum venisset, à suis est interfectus, *Diod. lib. 2. Justinus lib. 3. Orosius lib. 2. cap. 11.*

Ei succedit filius ARTAXERXES LONGIMANUS. Ad hunc Themistocles exul, de quo paulò ante diximus, profugit, ibiqve vitam finiit, sepultus Magnesiæ. *Plutarchus in Themistocle, Cornelius Nepos in vitis Imperatorum excellent.* Cicero

in Bruto & Latio. Valerius Maximus autem lib. 5. c. 3. & lib. 8. cap. 18. Themistoclem ad Xerxem fugisse scribit.

A Longimano regnavit DARIUS NOTHUS, [Ante. A. V. 423.] qui sororem illius habebat in matrimonio. Darius Notus, Artaxerxis Longimani filiam Parysatida sororem suam habuit in matrimonio, & regnarunt ante eum Longimani filii legitimi teste Plutarcho.

In hujus regnum incidit illud, quod diximus, bellum Peloponnesiacum. Bellum Peloponnesiaci tempus Plinius lib. 30. cap. 1. refert ad Olymp. octogesimæ primæ annum quartum. Anulus Gellius verò lib. 17. cap. 2. ad primum Olymp. 89. refert, Diodorus Siculus collocat id bellum in animum urbis conditæ 323. id est in Olympiad. ad 87. annum tertium.

Et Athenienses quidem, licet fatis impediti essent, tamen ejus belli anno quarto, sicut Thucydides ait libro 3. classem in Siciliam, (Sicilia olim Trinacria dicta. Just. lib. 4. & Sicania.) miserunt, verbo quidem, ut Leontinis adessent contra Syracusanos, revera autem, ut



theniensis dux, qui vicit Lacedæmonios ad Cnidum, & muros Athenienses rursus extruxit suis sumptibus.) EPAMINONDAS (Atheniensium virtus cum Epaminonda interiit, Justin. lib. 6. occubuit autem ad Mantineam, fuit Thebanus dux,) LEOSTHENES, (dux Atticus,) ARATUS Sicyonius. (Philippus Persei pater, ipsum necavit. Fuit dux Acheorum,) PHILOPCEMEN, (hic bellum gesit cum regibus Syriae, & fuit dux Acheorum (ex iis plerique fuerunt iussi tandem exulare. De his Græciæ luminibus videantur passim Xenophontis, Thucydidis, Pausania, Plutarchi aliorumq; historie, imprimis verò liber Cornelii Nepotis, sive Æmilii Probi, de vitâ excellentium Imperat.

Portum Syracusanum Cicero in Verrem lib. 5, describit, in eumq; solam Atheniensium classem, post hominum memoriam invasisse trecentis navibus, victam autem atq; superatam in eò ipsò portu, loci ipsius portusq; naturâ, & tunc primum opes ipsius civitatis victas, comminutas atq; depressas, & nobilitatis, imperiû, gloriæ, naufragium fuisse factum



Etum dicit. *Meminit Q. Fab. Maximus in Oratione, quæ apud Livium extat, Lib.28.*

Siciliam in circuitu patere, quantum navis magna possit obire intra dies octo, & à continenti distare Thucydides ait l.6. circiter viginti stadiis.

Dario filii erant duo, ARTAXERXES MNEMON & Cyrus: quorum ille mortuo Parenti successit, [*Ante Ær. Vulg. 404.*] Cyrus autem Joniam, Lydiamque tenebat: sed forte suâ non contentus, fratri regi bellum fecit, in eoque victus fuit & occisus. *Xenophon. l.2. ἀναβ. Diod. l.14. Plutarch. in Artaxerxe, Orosius l.2.*

Cyrum hunc minorem M. Portius Cato, regem Persarum, & ut est apud Ciceronem, præstantem ingenio virum, atque imperii gloriam vocat: Laudat etiam ex Xenophonte, propter studium agriculturæ: nam ei Xenophon & militavit & fuit familiaris, ideoque post ab Atheniensibus, qui Mnemonem habebant amicum, pulsus fuit in exilium. *Xenoph. lib.3. ἀναβ.*

A Mnemone regnavit OCHUS ex tribus natu minimus filius. [*Ante Æ. Vulg. 358.*]

Hunc excepit DARIUS POSTRE-  
MUS. [ *Ante Ær. Vulg. 335.* ] Ei bellum  
fecit ALEXANDER, Philippi Macedo-  
num regis filius, qui Thebis everfis, &  
pacatâ Græciâ, in Afiam contendit, &  
tribus præliis Darium superavit, captâ il-  
lius & matre & uxore, & filiabus. *Justin.*  
*lib. 11. Oros. l. 3. c. 16.*

Ingentes quidem conditiones, &  
regni partem ad Euphratem usque Da-  
rius ei deferebat, (*Diodor. lib. 17. Curtius lib.*  
*5.*) sed ille respuit, neq; destitit antè, quàm  
illum expugnâset. Cum enim pacem obti-  
nere Darius his conditionibus non posset,  
(*Strabo lib. 16.*) tertium bellum instaurat,  
& educto validissimò exercitu, rursus pro-  
fligatur, inque fugâ trucidatur à suis,  
(*à Besso:*) cum eoque Persicum impe-  
rium, quod annis steterat ducentis & am-  
plius, deletum fuit. *De Alexandro Magno*  
*ejusq; rebus totò imperii tempore gestis, vi-*  
*deatur Plutarchus in ejus vitâ. Diodorus*  
*Siculus lib. 16. Q. Curtius, Arrianus, Justinus,*  
*Johannes Monachus & Omnibus his recentior*  
*Gualterus Poëta in Alexandreide.*

His tantis victoriis in suam ditionem produxit ALEXANDER, quicquid est ferè terrarum ad orientem solem, & in Europam ex Asiâ transportavit imperiî summam, & [ *Ante Ær. Vulg. 331.* ] TERTIAM constituit MONARCHIAM: *Diodorus lib. 17. Arrianus lib. 3. Curtius lib. 8. Justinus lib. 12.* Post etiam in Indiâ belligeravit: (*anno sui imperii nono,*) sed quæ hominum est infirmitas, tantam fortunæ benignitatem & indulgentiam moderatè ferre non potuit, & cum insolenter multa faceret, sequè pro numine vellet propemodum adorari, Babylonem ubi venisset, feбри, vel ut nonnulli tradunt, veneno fuit extinctus. [ *Ante Ær. Vulg. 323.* ] *Cicero Philipp. cum annorum esset triginta trium, & annos regnasset duodecim. Videatur Plutarchus in Alexandrô, Diodorus Siculus lib. 16. Arrianus lib. 7. Curtius lib. 10. Justinus lib. 12. Oros. lib. 3. cap. 10. Zosimus lib. 1. Meminit. lib. 1. Maccab. cap. 1.*

Vitæ finem ei prædixerat Calanus Indus, ut ait Cicero, *Lib. 1. de Divin.* quum enim conscenderet in rogam ardentem,

& Alexander eum rogaret, si quid vellet, ut diceret: *optime* inquit, *propediem te videbo*. Paucis post diebus mortem obiit Alexander. *Justinus lib. 12. venenò extinctum dicit etatis anno 32. postquam regnasset 12. ann. & 6. menses. Plutarchus in Alexandrò nonnihil variat. Meminit Arrianus lib. 7. Valerius Maximus lib. 1. cap. 8.*

Interitus ejus ad centesimum decimam quartam ponitur Olympiadem, urbis autem Romanæ conditæ anno quadringentesimò nonò, trecentis nimirum & viginti duobus annis ante natum CHRISTUM. *Funccius & Chyrcus obitum Alexandr. M. ponunt ad annum V. C. 428. Bucholcerus & Beroaldus ad annum 429. Censeo igitur in Sleidano esse mendam, & scribendum annò quadringentesimò, vigesimò nonò: Videtur idem cum Livio congruere lib. 9. de Papirio Dictatore.*

Bonarum Artium imprimis amans, & in homines doctos fuit liberalissimus, eòque nomine multorum celebratur monumentum.

nutnentis. Homeri Poëma sibi familiarissimum habebat, & quanquam scriptores multos rerum suarum secum habuisse dicitur, (*Plin. lib. 7. cap. 9. Dio Chrysof. de regno lib. 2.*) tamen quum in Sigeo ad Achillis tumulum astitisset, *ô fortunate,* inquit, *adolescens, qui tuæ virtutis Homerum præconem inveneris!* Cicero pro Archia. Fl. Vopiscus in vita Probi Imp. Symmachus lib. 9. Epist. 67.

Etenim sicut ab Apelle potissimum, pingi & à Lysippô fingi, sic etiam ab iis tantum celebrari volebat, & posteritatis memoriæ commendari, qui in ipsò laudandò propriam ingenii gloriam consequi possent. Cic. ad Lucejum lib. 5. Epist. 12. Plutarchus in Alexandro & de fortuna Alexandri. Plin. lib. 5. cap. 37. & lib. 3. cap. 10. Horat. lib. 2. Epist. 1. Apulejus lib. 1. Floridorum.

ARISTOTELI præceptori negotium dedit animalium describendi naturas, *Plin. lib. 8. cap. 15.* ad eamque rem aliquot hominum millia per Græciam Asiamque con-



constituit, pecuarios, venatores, piscatores, cetarios, aucupes & id genus alios, qui de singulis illum edocerent: ipsi vero scriptori præmium laboris dedisse traditur (*Athenæus lib. 9. & 12.*) octingenta talenta, hoc est, ut quidam ætatis nostræ viri docti rationem ineunt, coronatorum aureorum millia quadringenta octoginta. *Budæus de asse, lib. 2. Philippus Melancthon in oratione de vita Aristotelis. Matthæus Hostius lib. 3. rei nummarie.*

XENOCRATI Philosopho (*Cicero Tuscul. 3.*) quinquaginta per legatos talenta misit, aureorum videlicet millia triginta, sed illo recusante: quòd tantâ pecuniâ non sibi diceret opus esse, legatis reversis, quid, inquit, nullosne habet ille amicos, quibus beneficiat? *Plutarchus in Alexandrò, Diogenes Laërtius de vitis Philos. lib. 4. Valerius Maximus lib. 4. cap. 3.*

Primis annis, quum Aristotelis esset discipulus, summò ingeniò, summaque modestiâ præditum, postea verò quàm rex appellatus est, superbum, crudelem, in-

immoderatum fuisse, ait Cicero. *Meminit Livius lib. 9. Solinus cap. 12. Cic. 3. Tusc. & lib. 13. ad Atticum. Epist. 28.*

De splendore, deliciis & luxu Darii mira narrant scriptores. Nam omnes generis coquos, cupedinarios, fartores, artifices, magistrisque gulæ & unguentarios habebat in castris, ne quid ad corporis voluptatem omninò deesset.

Quantus etiam fuerit alioquî regum Persarum splendor & apparatus in quotidianis epulis, non ab unô memoriæ proditum est. *Athen. lib. 12. cap. 2. lib. 4. cap. 5.*

Solebant, ut ait Cicero, (*Verrin. 5.*) plures uxores habere: his autem uxoribus civitates attribuere, ut hæc mulieri redimiculum præberet, illa hunc, vel illum ornatum. *Meminit ejusdem moris Xenophon in ἀναβάσει, & Plato in Alcibiade priorè.*

Talem igitur, ut dixi, vitæ finem habuit Darius, & in fugâ cum aquam turbidam bibisset, & cadaveribus inquinatam, negabat unquam se bibisse jucundius: nec enim sitiens unquam biberat. *Cic. 5. Tusc. Quest.*

A morte Alexandri, divisa fuit imperii moles in proceres, *Oros. lib. 3. cap. 23. Justinus lib. 13.* Ptolomæum, Laomedontem, Antigonum, Cassandrum, Leonatum, Eumienem, Pythonem, Lyfimachum, Antipatrum, Meleagrum, Seleucum: in his autem præcipui fuerunt SELEUCUS Syriæ, PTOLOMÆUS Ægypti, ANTI-GONUS Asiæ minoris, CASSANDER Macedonum Græciæq; rex deinde factus, oppressis omnibus Alexandri propinquis. *Pausan. lib. 9. Oros. lib. 3. cap. 23. Diod. Lib. 20. Justin. lib. 14.*

Lyfimachus, ille est, quæm Alexander iratus aliquando concluderat cum leone: Cùm autem interfactum ab eò belluam audisset, magnò habuit in honore. *Curtius lib. 8. fabulosum hoc putat. Justinus lib. 15. Plin. lib. 8. cap. 15. Valerius lib. 9. e. 3. Plutarchus in Alexandro.*

Cæterum inter eos, quos dixi modò, successores, eorumq;ve filios atq;ve nepotes, gravissima bella fuerunt, ut fieri solet, dum ambitione depravatus animus quiescere non potest, & alienam cum injuriâ suam potentiam augere studet:

Et

Et his quidem bellis, quoniam diuturna fuerunt, vehementer afflictæ regiones illæ omnes, in populi Romani ditionem paulatim venerunt, qui longè lateqve rerum potitus, *QUARTAM* & postremam effecit Monarchiam, de quâ nobis jam dicendum est. *Julius Solinus cap. 14. Post Alexandrum qui fuere, magis ad segetem Romanæ gloriæ, quàm ad hereditatem tanti nominis ortos invenimus. Herodot. lib. 1. Qui Alexandro successerunt, ita contumeliosè, violentèq; dominati sunt, ut illius imperio grave dedecus conciliarint.*

Cæterum inter Ægypti reges, Alexandri successores, numeratus *P T O L O M Æ U S P H I L A D E L P H U S*, admodum laudatus Princeps. Nam & pacem coluit, quantum in ipso fuit, & artes liberales excitavit, constitutis præmiis, & Bibliothecam effecit luculentissimam, (*Athenæus lib. 2. cap. 5.*) & Mosis libros atqve Prophetarum in Græcam linguam jussit converti. *Josephus Antiquit. Judaic. lib. 12. cap. 2. Philo de vita Mosis lib. 2. Epiphanius libro de mensuris & ponderibus, Galenus*



*lenus lib. de natura humana, Zonasas to-  
mo 1. Nicephorus lib. 4. cap. 4. Meminit  
Ammianus Marcell. lib. 22. Gell. lib. 6.  
cap. 17. Augustinus lib. 18. cap. 42. de Civi-  
tate Dei. Constantinus Manasses in An-  
nalib.*

Romanæ igitur urbis initium fuit, quò  
tempore Salmanasser rex, de quò supra di-  
ctum est, Assyriis imperabat, nimirum,  
annò primò septimæ Olympiadis, ( *De  
initiò urbis Romanæ & dissentientibus scri-  
ptorum sententiis videatur Plutarchus in  
Romulò, Solin. cap. 1. Camerarius in An-  
notation. in Solinum, Onuphrius lib. 1. Fa-  
stor.* ) authore Plutarcho : conditi autem  
orbis annò ter millesimò, ducentesimò,  
duodecimò, ( *Ante Æ. V. 753.* ) cum an-  
nis ferè quadringentis antè in Latiò cœ-  
pisset regnare Æneas, ( *Flor. lib. 1. cap. 1.* ) à  
bellò Trojanò, quod Homerus ad posterit-  
tatem transmisit : de cujus quidem ætate,  
sicut etiam patriâ, nihil certi constat, nisi  
quòd ante conditam urbem atq; Romulum  
multis annis eum fuisse, Cicero scribit in  
*Brut. Herodot. Halicarnassens lib. 2. Homerù  
& He-*



Et Hesiodum quadringentis non amplius annis ante sua tempora vixisse testatur, attamen post bellum Trojanum ipsum vixisse scribunt quidam, cum essent exacti 150. anni. videatur præterea A. Gellius lib. 17. c. 21. Solin. cap. 35. De patria Homeri habet Gellius lib. 3. c. 11. Et Oratio Cic. pro Archia.

Nullum verò scriptum existit prophænum, illius poëmæ vetustius: Nam sicut Horatius ait Lib. 4. Ode 9.

*Vixere fortes ante Agamemnona*

*Multi: sed omnes illacrymabiles*

*Ugentur, ignotiq; longâ*

*Nocte: carent quia vate sacro.*

Significat idem quoque Cicero, (in Bruto) nec oratoris ullum extare vestigium dicit ante Homerum. Diversum ab hac sententia scribit Eusebius de præparatione Evangel. lib. 10. c. 3.

Tenuis autem, & propè despecta populi Romani fuit origo, sed quia Deus ita constituit, sicuti postea docebitur, in summam excrevit potentiam. Cicero de consolatione. Constat inter omnes quæ præclara dicuntur, ea ferè omnia à tenuibus initiis sumfisse exordium.

Prin-

Principio, REGES ibi septem imperarunt annis ducentis, quadraginta quatuor, *Vide Livium lib. 1. Dionys. lib. 1. Flor. lib. 1. cap. 8. Messalam, Fest. Rufum. Eutrop. lib. 1. Oros. lib. 1. cap. 5. Jordanem. Solinum. Causam diversitatis inter hos explicat Sigonius commentario in Fastos & Triumphos Rom.*

Et sexti quidem regis ætate, (Cic. in Brut.) SERVII TULLII, *Solonem ac Pisistratum*, apud Athenienses *Pythagoram* autem in Italia floruisse Cicero scribit, 1. & 4. *Tuscul. quest. quæ* tempore TARQUINIUS SUPERBUS fuit electus. [*Ante Ær. Vulg. 508.*]

Athenas etiam ait, regnante Servio Tullio, stetisse jam supra septingentos annos. Profligatis regibus, ad binos CONSULES rerum summa delata fuit, quorum magistratus erat annuus. *Livius Lib. 2. Florus lib. 1. cap. 9. Cicero de Legibus. Ovid. 2. Fastor. Fenestella cap. 7. de Magistratib. Roman. Eutrop. lib. 1. Pomp. tit. 1. lib. 1. Digestorum.*

Primus Consul, L. JUNIUS BRU-  
TUS, quàm fuerat acer & industrius in  
profligandis regibus, & constituendâ li-  
bertate, tam etiam erat vigilans & stre-  
nuus in eâdem conservandâ. Quùm enim  
inter alios nobiles adolescentes Romanos,  
ipsius quoque filii duo, Titus & Tiberius,  
occulta tractarent consilia de restituendis  
Tarqvinis, re per indicium patefactâ,  
capitali supplicio palàm illos affecit. *Livius*  
*lib. 2. Dionys, lib. 5. Plutarchus in Publicola, Val.*  
*lib. 5. cap. 8. Oros, lib. 2, cap. 6. Virgil, lib. 6. Ju-*  
*venalis Satyr, 8. Plinius de viris Illust.*

Collegæ quoque suo, Tarquinio Col-  
latino (*marito Lucretiæ*) imperium abro-  
gabat, qui fuerat socius ejus in expellen-  
dis regibus, & consiliorum etiam ad-  
jutor. Idque Cicero defendit, ut justè  
factum, & patriæ tum utile, tum hone-  
stum fuisse dicit, ut nomen Tarqvi-  
niorum & memoria regni tolleretur.  
*Abdicationis Collatini non eadem causa*  
*ab omnibus traditur. Videatur Livius l. 2.*  
*Gell. lib. 15. cap. 29. Cicer. in Bruto § 3. de*  
*Offic. Dionys. l. 5. Plutarchus in Publicola.*

*Augustinus de Dei Civit. lib. 2. cap. 17. hoc  
Bruti factum scelus, Tarquinium verò bonum  
& innocentem virum nominat.*

Cæterùm in variâ populi Romani fortunâ, cùm Hetruria conspirâsset omnis, in hostem egressi urbe Româ trecenti FABLÆ gentis, interfecti fuerunt omnes, unô superstite tantùm impubere domi relicto, qui familiam deinde propagavit: fuit hoc annô tricesimô tertiô post ejectos reges. [ *Ante Ær. Vulg. 476.* ] *Livius lib. 2. Florus lib. 1. cap. 12. Ovid. lib. 2. Fast. Eutropius lib. 1. Oros. lib. 2. cap. 5. Plinius de viris illustribus, Gellius lib. 17. cap. 21. Dionysius lib. 9. dissentit ab his & verisimiliora affert. De die hujus cladis videatur Macrobius lib. 2. cap. 16. Plutarch. in Camillo. Liv. lib. 6. Tacitus lib. 2. Historiarum.*

Ob turbulentum autem Reipubl. statum conditæ urbis annô trecentesimo, legati in Græciam missi fuerunt, qui leges illinc adferrent, quibus deinde civitas uteretur. ( *Vide Matth. Beroald. lib. 4. Chronolog.* ) His reversis, mutata Reipubl. forma fuit, & DECEMVIRI constituti

stituti, [ *Ante Ær. Vulg. 450* ] qui rei summæ præessent : sed non totum triennium duravit hic status, & APPIUS CLAUDIUS, ex Decemviris unus, nequitiâ suâ, cum L. Virgini, civis Romani, filiam virginem ad libidinem abriperet, occasionem periculo dedit, ut ordinem totum profligarent. *Dionysius lib. 21. Livius lib. 5. Diodorus lib. 12. Eutropius lib. 1. Valerius lib. 6 cap. 1. Florus lib. 1. cap. 24. Cic. 2. de finibus Justin. Imperat. lib. 2. ff de orig. jur. §. 24.*

Itaque res ad Consules rediit : sed & hi paucorum fuerunt annorum, & creati sunt TRIBUNI MILITUM duo, consulari potestate : [ *Ante Ær. Vulg. 443.* ] verum hi sub finem anni depositio magistratu, consulibus denuo locum fecerunt, eoque tempore, quod erat anno urbis CCCXV. L. QUINTIUS CINCINNATUS, Dictator, Sp. Melium, largitione frumentaria captantem in urbe regnum, per C. Servilium Halam, magistrum equitum, interfecit, ejusque domum complanavit. (*Ante Ær. Vulg. 437.*) *Livius lib. 4. Florus lib. 1. cap. 26. Cic. 1. Catilin. pro domo. 2.*



*de finibus, in Catone, Plin. lib. 18. Cap. 3. Valer. Max. lib. 5. c. 3. Plin. de viris illustribus.*

Bienniô pòst rediit potestas ad tribunos militum, qvi deinde non bini, sed plures eòdem tempore creabantur, pro voluntate populi & Reipubl. conditione.

Duravit hic magistratus per annos fere septuaginta, & inter alios floruit in hóc ordine, M. FURIUS CAMILLUS, virtute nulli secundus, qvi præclare de Republicâ meritus, in exilium fuit ejectus ab ingrâtâ patriâ, cùm quartum fuisset tribunus militum: sed cùm captam à Gallis Senonibus urbem Romam liberâset, hostemqve fudisset, restitutus dignitati fuit, bienniô pòst factus Dictator. *De Camillo vide Livium lib. 5. 6. & 7. Florum lib. 1. cap. 12. & seqq. Valerium lib. 5. cap. 3. Polyænum lib. 8. Plinium de viris illustribus: Plutarchum in Camillo: August. de Civitate Dei lib. 2. cap. 17.*

Paucis verò pòst annis M. MANLIUS qvi Capitolium à Gallis defenderat, ob suspicionem affectati regni, de saxo Tarpejò dejicitur, (Cic. 1. Philip.) & decretum

tum fuit factum, ne quis gentis Manliæ patricius, vocaretur Marcus. [ *Ante Ær. Vulg. 381.* ] *Livius lib. 6. Florus lib. 1. cap. 26. Plutarchus in Camillo. Plin. lib. 7. cap. 28. Valerius Max lib. 6. cap. 3. Cicero pro domo sua. Quintil. lib 3. cap. 9. Gellius lib. 17. cap. 21. citatô Corneliô Nepote, nonnihil variat.*

Septimum deinde creatus est Tribunus militum CAMILLUS, & ætate gravis vitam finiit annô conditæ urbis CCCLXXXIX. (*Sigon. 388.*) [ *Ante Æram Vulg. 362.* ] quum annô unô [ *Ante Æram Vulg. 363.* ] ante ipsius mortem, à Tribunis Militum, Reipublicæ procuratio ad CONSULES rediisset, ex quibus tunc primum unus fuit plebejus. *Camillus obiit L. Genutio, & Q. Servilio Coss. quô annô ingens Romam universam pestilentia invasit, de quâ Livius lib. 7. Oros. lib. 3. cap. 4. quæ & Camillum sustulit. Plin. lib. 14. cap. 1.*

Dedit autem hæc ætas longè præstantissimos belli duces in eâ civitate, M. VALERIUM CORVINUM, T. MANLIUM TORQUATUM, C. MARTIUM RUTILIUM, P. DECIUM MUREM, PAPIRIUM CORSO-

REM, PUBLIUM PHILONEM, L. VOLU-  
LUMNIUM, & alios. De his Plinius de viris  
illustribus, Item Onomasticon Romanum Glan-  
dorpii.

Ex his T. MANLIUS TORQUATUS, Consul,  
filium suum, quod præter mandatum, extra  
ordinem, duellò pugnasset in hostem, ta-  
met si feliciter, securi percussit. [Ante Ær.  
Vulg 336.] Diodorus Siculus lib 17. Salustius in  
Catilinaria Livius lib. 8. Plutarchus in Fabio  
Max. Cic. 1. de finibus. 3. Offic. pro Sylla Va-  
lerius Max lib 6 cap. 9 Gell. lib. 9 cap. 13 Fron-  
tinus lib 4. cap. 1 Vide proverbium, Manli-  
na Imperia 2. de finibus apud Ciceronem & E-  
rasmum, Plinius de viris illustribus, Gellius  
lib. 17. c. 21.

P. DECIUS MUS, Consul, [Annò eòdem]  
in præliò contra Latinos, pro exercitu  
populi Romani sese devovit, & in con-  
fertissimam turbam hostium irruptione  
factâ confossus, nutantem rem Roma-  
nam restituit. Livius lib. 8. Flor. lib. 1.  
cap. 14. Cic. 1. de divinatione, 2. de Finibus  
in Catone, 1. Tuscul. quæst. Plin. lib. 22.  
cap. 25. Valer. lib. 5. cap. 6. & lib. 1. cap. 7.

Augustus

*Augustinus de Civitate Dei, lib. 3. cap. 18. Meminere Virgil. lib. 6. Propertius lib. 2. Elegia 9. Juvenalis Satyrâ 8. Lucanus l. 2. Claudianus de 4 Consulatu Honorii. Frontinus Stratag. lib. 4 cap 5.*

Idem fecit ejus Filius, ejusdem nominis quartum Consul, annis XLIV. post in bello contra Galios Senones. *Livius lib. 10. Cicero 2. de Finib. Florus l. 1. c. 17. Cicero 1. Tuscul. quest. in Caton pro Sexto, pro domo sua, pro C. Rabirio Posthumo 4 ad Herennium. Val. l. 5. cap 6. Orosl. 3 cap. 21. Plin. de viris illustr.*

Est, quod ante diximus, tempore, ad annum urbis conditæ CCCCXX. floruit ac bella gessit ALEXANDER MAGNUS, tertiæ Monarchiæ conditor, ut supra docuimus. Cum hoc T. Livius *Libr. 9.* componit L. PAPIRIUM CURSOREM, & expatiatus tum sui, tum Lectoris reficendi causâ, demonstrat, eum inter alios Alexandro potuisse resistere, si forte post devictam Asiam, in Europam abductis copiis, ille populo Romano bellum fecisset. Repetit hoc idem *Ammianus Marcellinus lib. 30.* his verbis: *Papirius Cursor*

ad resistendum aptus Alexandro Magno, si calcasset Italiam, estimatus. Item Paulus Orosius lib. 3. cap. 15. Vide, quid hic in Livio desideret Anton. Muretus variarum Lection. lib. 15. cap. 14.

Erat omninò summâ præditus virtute is, quem dixi, PAPIRIUS CURSOR. Nam, ut alia præmittam, quando T. Veturius Calvinus, Sp. Posthumius Albinus II. Consules, cum totò exercitu, sub jugum missi fuerunt à Samnitibus ad furcas Caudinas, & turpiter cum hoste pacificarunt, ille factus Consul, hostem victorè fudit ac profligavit. Livius lib. 9. Florus lib. 1. cap. 16. Cic. 3. Offic. Augustinus lib. 3. de Civitate Dei, cap. 17. & lib. 5. cap. 22. Entrop. lib. 2.

Quàm etiam severè disciplinam oporteat servare militarem, in suò declaravit equitum magistrò Dictator ipse. Livius lib. 8. Entropius 2. Valerius Max. lib. 2. cap. 7. Plinius de viris illustr. Frontinus Stratagem. lib. 4. cap. 1.

Protulit insuper hæc & aliquantò superior ætas in Græciâ, viros longè doctissimos. (Cic. 3. de Oratore.) Tunc enim,



SOCRATES, & ab hōc, velut ex fonte quō-  
piam, ARISTIPPUS, PLATO, ANTISTHENES,  
SPEUSIPPUS, ARISTOTELES, DICÆARCHUS,  
XENOCRATES, HERACLIDES, THEOPHRA-  
STUS, POLEMO, STRATO floruerunt, Physicī  
omnes, & ut ait Cicero, 1. *de natur. Deo-  
rum*, speculatores venatoresque naturæ.  
*De his vide Diogenem Laërtium in vitis Phi-  
losophorum.*

Floruerunt etiam Oratores clarissimi,  
(*Cic. in Bruto*) GORGIAS, PROTAGORAS,  
PRODICUS, HIPPIAS, ISOCRATES, LYSIAS,  
DEMOSTHENES, HYPERIDES, ÆSCHINES,  
PHALEREUS, DEMETRIUS, DEMOCHARES, Hi-  
storici verò, XENOPHON imprimis, quem  
Socraticum Cicero vocat, (*lib. 2. de Orato-  
re, 2. Offic. 2. Tuscul. quest.*) & CALISTHENES,  
comes Alexandri Magni. *De Calisthene Plu-  
tarchus in Alexandrō. Cicero de Rab. Posthu-  
mō. Arianus lib. 4. Curtius libr. 6. Oros. lib. 3.  
cap. 18. Diogenes Laërtius lib. 5.*

Hac ætate vixit Syracusanorum Ty-  
rannus, *Just. lib. 21.* DIONYSIUS: ad quem  
Plato cum venisset, [*Ante Ær. Vulg. 386.*]  
deque viri principis officiō libere locu-

tus esset, in maximò vitæ periculò fuit, ut Cicero narrat *pro C. Rabiriò*, *Vide Diogenem Laërtium lib. 3.*

Hic est ille, ( *de credulitate differit Justin. lib. 21.* ) qui non propinquis, sed convenis quibusdam & feris hominibus atque barbaris custodiam corporis committebat: ( *Plutarchus in Dione* ) qui tondere filias suas docuit, ne tonsori collum committeret: qui ferrum ab iisdem, cum essent adultæ, removit, instituitque, ut candentibus juglandium putaminibus barbam sibi & capillum adurerent: ( *Cic. libro 5. Tusc. quest. Marcell. l. 6. Cic. 3. Offic. Valerius Max. lib. 9. cap. 24.* ) qui noctu sic ad uxores ventitabat, ut omnia specularetur & perscrutaretur antè: qui, quum in communibus suggestis consistere non auderet, concionari ex turri solebat; qui DAMOCLI parasito, cujusmodi sua esset felicitas, quam ille prædicaverat, ostendit, cum in summis deliciis, omniumque rerum copiâ, luxuque accumbenti, gladium fulgentem, è lacunari setâ equinâ appensum, dimitti jussit, ut impenderet illius cervicibus.

*Cicer. lib. 5. Tuscul. Hor. lib. 3. Oda 1. Persius Saty. 3. Macrob. in somn. Scipionis. lib. 1. cap. 10. Marcell. l. 89.*

Post Alexandri mortem annis circiter XLII. [*Ante Ær. Vulg. 280.*] bella gessit cum Romanis, & in Italiam venit, Epirotarum rex, PYRRHUS, *Livius lib. 14. Florus lib. 1. cap. 18. Plutarchus in Pyrrhō Eutrop. lib. 2. Justinus lib. 18. Pausanias in Atticis, Plinius de viris illustribus.*

Altero ejus belli anno sollicitabat Senatū ad pacem & fœdus faciendum, *Livius lib. 3.* sed APPIUS CLAUDIUS ætate gravis, & cæcus, qui ante annos septendecim fuerat Consul II. ut ait Cicero (*in Cantone Majore,*) venit in curiam, & Senatū, inclinante ad pacē, deterruit, ne fœdus cum eo facerent. Tanta enim erat in eo vis animi, ut in illo suo casu, nec privato nec publico muneri deesset. (*Cicero 5. lib. Tuscul. quest.*) Oratio, quam tunc habuit de Pyrrhō, quum pacem dirimeret, extabat tempore Ciceronis, ut ipse ait. *De Appio videatur Livius lib. 13. Florus lib. 1. cap. 18, Plinius de viris illustribus*

*bus. Plutarchus in Pyrrhō Ovidius 6. Fastorum. Meminit Cicero in Brutō & Philipp. 1.*

Insignem tunc operam Reipubl. navavit G. FABRICIUS LUSCINUS, qui sollicitatus à Pyrrhō ad defectionem, amplissima illius munera contempsit, atque promissa. *Eutropius lib. 2. Lucanus lib. 3. Livius lib. 13.* Nec id modò, sed captivum etiam ei remisit perfugam, qui venenò se posse regem tollere confirmarat. Cicero confert eum cum Aristide Atheniensi. *Transfuga hic Eutropio lib. 2. Medicus Regius; Gellio lib. 3. cap. 8. amicus regius; Marcelino lib. 30. minister regius appellatur. Est autem Timochares Gellio, Demochares Marcelino, utriq; diverso nomine Nicias. Ambractensem Valerius lib. 6. cap. 5. & Gellius citatò locò faciunt. Quomodo cetera authores varient, ex citatis locis petatur. Meminit Plutarchus in Pyrrhō. Cicer. 1. & 3. Offic. Suidas in voce Fabricius.*

Secundò reversum in Italiam Pyrrhum, MANIUS CURTIUS DENTATUS, omninò profligavit, (*sub Campis Arusinis, Annò V. C. 478.*) ac triumphum egit. [*Ante Æ. Vulg. 275.*]

Pyrr

Pyrrhus omnium primus Elefantos adduxit in Lucaniam. *Justin. lib. 18. Varro de lingua Latinâ, lib. 6. Plin. lib. 8. cap. 6. Julius Solir. cap. 38. Oros. libr. 4. cap. 1. Flavius Vegetius de re militari.*

Et adhuc quidem, per annos ferè quingentos, bella gesserunt Romani cum Italiæ solum populis, (*Livius lib. 14. Flor. lib. 1. c. 18. Justin. 23. Eutr. 1. Cic. in Catone & pro Murena*) è quibus acerrimè restiterunt, ac sæpè rebellârunt, nunc victi, nunc victores, Latini, Veientes, Æqui, Falisci, Samnites, Hetrusci, quibus demum devictis atq; pacatis, exortum est longè gravissimum bellum in CARTHAGINENSES: (*Videat. Livius lib. 30. & seqq. Epitom. Eutrop. lib. 1. & 2. Flor. 21. & c.*) cujus quidem urbis originem, Româ multò vetustiore esse constat. Fertur à *Justin. 1. 18. Carthaginem conditam 27. annis antè, quàm, Roma. Carthago condita annis 143. & mensibus octo à templò Salomonis, ut Josephus lib. 1. contra Appionem scribit. [Ante Æram Vulg. 873.] Est annus ante excidium ejus 751. Verum Dionysius ex Timæo Siculò annotat Carthaginem conditam esse anno 38. ante pri-*



*mam Olympiadem. Vellejus lib. 1. annò 667. ante everfionem sub Scipione. Josephus ergo facit Carthaginem annis 81. antiquiorem, quàm Dionysius, Suidas in voce καρχηδών dicit Carthaginem 700. annos à primâ origine finitimis imperâsse, deinde à Scipione solo æquatam.*

Initium belli fuit ad annum urbis Romæ CCCCXXCV. (*Annus, quò Bellum Punicum primum geri coeptum, varium numerum apud scriptores habet. In fastis Capitolinis est CCCCXXCIX. [Ante Ær. Vulg. 264.] Consentit Solinus.*) In eòque cum primis memorabile est illud, quod de M. ATTILIO REGULO memoriæ proditum est, qui captus à Carthaginensibus, & Romam missus, ut de pace ac permutandis captivis ageret, ac nisi impetraret, ad vincula rediret: quum eo venisset, planè diversum fenatui svadebat, neque ex usu reipublicæ id esse demonstrabat: deinde, quòd fidem hosti servandam esse diceret, Carthaginem reversus, crudelissimò supplicii genere fuit exanimatus, resectis palpebris, & illigatus in machinâ, vigilando enecatus. *De supplicio Reguli*

Reguli variant scriptores, Cicero in *Pisonianâ* Regulum in machina religatum scribit, & resectis palpebris vigilando enecatam. Eam machinam Appianus caveam vocat, stimulis intus exstantibus, necubi se sine corporis laceratione inclinare posset. Tubero apud Gellium aliud & inauditum tradit, talionemque nobilissimis Pœnorum captivis repensam esse à Reguli liberis, eosque in armario muricibus præfixo inclusos insomniæque excruciatos interiisse. Repetit Zonaras tomo 2. Florus libr. 3. cap. 2. crucis suppliciò enecatam. Entropius libr. 2. omnibus suppliciis extinctum, ceteri omnes insomniâ, et si aliò atque aliò cruciatus genere tradunt. Vide Livium lib. 18. Polybium lib. 1. Appianum ut Libycis. Meminit Cicer. 1. & 3. Offic. 5. de finibus. Horat. lib. 3. Ode 5. Silius Italicus lib. 6. Valerius lib. 1. cap. 1. Oros. lib. 4. cap. 10. Seneca de providentiâ Ovid. in *Ibin.* v. 281. Plinius de viris illustribus. Tertullian. ad martyres.

Eò durante bellò Romani omnium primò feliciter mari pugnârunt in Sicilia, (ad *Ligaras insulas.*) C. DUILLIO Consule, [Ante *Aram Vulg.* 260.]

adversus Hannonem. *Livius lib. 17. Flor. lib. 2. cap. 2. Eutropius 2. Plin. lib. 34. Tacitus lib. 2. Plinius de viris illustribus. Oros. lib. 4. cap. 7. Frontinus lib. 2. Stratag. cap. 2.*

Hunc ipsum Duillium, & Manium Curium, & C. Fabricium, item Attilium Calatinum, Cn. & P. Scipiones, Africarium, Marcellum & Fabium Maximum, Cicero (*lib. de natura Deorum, pro Cn. Plancio & 1. lib. Tuscul. quest.*) nominat, ut clarissimos urbis Romæ Consules. *De his consule Johannis Glandorpii, ex Saxonibus Westphali, Onomasticon Romanum, à Reinero Reineccio in lucem datum.*

Anno sequenti [*Ante Æram, Vulg. 250.*] L. CORNELIUS SCIPIO Consul, Corsicam atque Sardiniam capit. *Livius lib. 17. Florus lib. 2. cap. 2. Oros. lib. 4. cap. 7.*

Compositum tandem fuit bellum Punicum, Q. Lucretiô Catulô Cercô, A. Manliô, Consulibus, [*Ante Æram, Vulg. 241.*] cum annis durasset viginti tribus. *Ut habet Orosius lib. 4. cap. 11. Eutropius 2. Augustinus de Civitate Dei 5. cap. 22. Polybius & Livius, qui tempus hujus belli excitati respiciunt, scribunt id gestum annis 24.*

Bienniô post [ *Ante Aeram Vulg. 239* ]  
 natus est ENNIUS, ( *Cicero in Brutô* ) annis  
 quinque nati major M. PORTIO CATONE,  
 qui illum suum vocat familiarem ( *in Cato-  
 ne Majore Ciceronis* ) Tum verò novis bel-  
 lis implicati Romani fuerunt adversus Pali-  
 scos, Ligures, Illyrios, Gallos, Bojos, Infu-  
 bres: *Videatur Livius lib. 20. Florus lib. 2 cap.  
 3. 4. 5. Polybius lib. 2. Orosius lib. 4. c. 13. Eutro-  
 pius lib. 2. & 3. Plutarchus in Marcellô Plinius  
 lib. 3.*

Quibus tandem expugnatis, exortum est  
 alterum bellum Punicum, annô vigesimô  
 quartô post factam pacem, [ *Ante Aeram  
 Vulg. 218.* ] P. Corneliô Scipione, T. Sempro-  
 niô Longô Coff. ( *De bellô Punicô secundô vi-  
 deatur Augustinus lib. 3. cap. 19. de Civitate Dei  
 Cic. Philipp. 5.* ) Ejus erat dux ANNIBAL,  
 qui Saguntum oppugnabat, & per Hispani-  
 as in Galliam, ac Italiam, inde contendens,  
 tribus præliis populum Romanum ordine  
 superavit ad Ticinum, ad Trebiam flumen,  
 & Trasymenum lacum. *Livius lib. 10. & seqq.  
 Florus lib. 2 cap. 6. Appianus de rebus Anniba-  
 lis. Polybius lib. 3. Silius Italicus lib. 4. & seqq.*  
 Plin-



*Plinius lib. 33. cap. 50. Eutropius 3. Orosius lib. 4. cap. 14. & 15.*

Creatus autem Dictator Q. FABIVS MAXIMVS, & in hostem profectus, cunctatione vim illius & impetum refregit atque tardavit, ille ipse, quem celebrans Ennius:

*Unus homo nobis, inquit, cunctando restituit rem.* Hic Ennius

versus de Q. Fabio extat apud Ciceronem lib. 1. Offic. & in Catone Majori. Eundem unam vocula immutatam Virgilius lib. 6. Aeneidos expressit, & post eum Serenus Sammonicus cap. 62. De cunctatione Q. Fabii Maximi prater Livium legatur Florus lib. 2. cap. 6. Plutarchus in Fab. Max Valerius Max. 7. cap. 3. Plinius lib. 22. cap. 5. Orosius lib. 4. cap. 15. Eutropius lib. 3. Frontinus lib. 2. cap. 5. & lib. 1. cap. 3. Silius Italicus lib. 6. & 7. Ovid. lib. 2. Fastor. Propert. lib. 3. Elegia 2. Plin. de viris illustr. Calliditatem ei Cicero lib. 1. Offic. tribuit, & quod facile celaret, taceret, dissimularet, insidiaretur, hostiumque consilia periperet.

Post autem ad Cannas, [ *Ante Aër. Vulg. 216.* ] ingentem cladem populus Romanus



accepit, (*Plutarchus in Fabio. Oros. lib. 4. cap. 16.*) quæ quidem tantam excitavit in urbe trepidationem, ut plerique potentiores de fugâ cogitarent, & Italiâ relinquendâ: sed à P. Corneliô Scipionë, P. Filio, ingentis animi juvene, qui tum vicesimum quartum ætatis annum vix ingressus erat, confirmati fuerunt, imò retenti. *De præliô ad Cannas comusissô videatur Livius lib. 22 & 26. Polyb. lib. 5. Plinius lib. 10. & 15. cap. 18. lib. 33. cap. 1. Strabo in fine lib. 6. Lactantius lib. 2. cap. 17. Silius Italicus lib. 9. Augustinus lib. 2. cap. 9. de Civitate Dei. Valerius Maximus lib. 1. cap. 1. & 2. lib. 2. cap. 2. lib. 3. cap. 4. lib. 4. cap. 5. lib. 7. cap. 4. & 6. Frontinus lib. 2. cap. 5. Oros. lib. 4. cap. 16. Tacit. lib. 7.*

Quartô post annô (*Ante Ær. Vulg. 212.*) M. Claudius Marcellus, post diurnam obsidionem, Syracusas capit. (*Polybius lib. 8. Livius lib. 25.*) In ejus urbis direptione fuit occisus ARCHIMEDES, nobilis Mathematicus, qui in pulvere quædam describens, patriam non sensit esse captam. (*Cicero Verrina 6. & 5. de finibus. Valerius lib. 8. cap. 7. Silius lib. 14.*) Interitum ejus tulit

tulit permolestè Marcellus, ubi rescivit, & sepeliri iussit, & captam urbem non solum incolumem esse passus est, ut ait Cicero *Verr. 4.* sed ita reliquit ornatam, ut esset idem monumentum victoriæ, mansuetudinis, clementiæ: imò victoriâ Marcelli pauciores homines desideratos fuisse dicit (*Verr. 6.*) quàm Deos, adventu Verris prætoris in eandem urbem. Livius autem iræ, invidiæ, avaritiæ, multa fœdaque dicit ibi fuisse edita exempla. *De expugnatione Syracusarum videatur Livius lib. 25. Florus lib. 2. cap. 6. Silius Italicus lib. 14. Plutarchus in Marcellô. Valerius Maximus lib. 5. cap. 1. & lib. 8 cap. 7. Orosius lib. 4. cap. 17. Eutropius lib. 3. Plinius de viris illustribus. Augustinus de Civitate Dei 1. cap. 6. & lib. 3. cap. 14.*

Sepulchrum Archimedis, obsoletum profus, & dumis atque vepribus obsitum, (*Cicero lib. 1. Tuscul. quest.*) & ipsis adeò Syracusanis ignotum, Cicero, quæstor Siciliæ, cum illud ex descriptione quâdam cognitum haberet, Senatui Syracusano demonstravit, centum triginta septem post annis.

Urbem SYRACUSAS, maximam esse Græcarum urbium, pulcherrimamq; omnium, & ex quatuor urbibus maximis constare dicit M. Tullius: (*Verr. 6.*) *Insula*, ubi fons est Arethusa, plenissimus piscium: (*Plutarchus in Marcello.*) *Acradina*, ubi forum & porticus & curia: *Tyche*, ubi fanum Fortunæ: *Neapoli*, quæ postrema ædificata theatrum habet amplissimum. *Strabo Syracusas*, ex quinque urbibus, quas ambitu complectatur, constare dicit, lib. 6. *Insula eidem dicitur Ortygia*. *Liv. lib. 5.* eam partem incolis *Nasori*, vocari auctor est, qui eadem *Achradina* & *Tica* pro *Acradina* & *Tyche* scribit. *Diodorus lib. 11. 17. 18.*

Porro, nationum omnium exterarum princeps SICILIA se ad amicitiam fidemque populi Romani applicuit, & primò omnium est appellata provincia, sicut idem Cicero (*Verr. 4.*) testatur; *Meminit Solinus cap. 11. Festus Rufus in compendiò historie Rom. Vell. lib. 2.*

ANNIBAL, à Cannensi victoriâ, Campaniam omnem deditione capit; exercitus illius Capuæ hybernans, copiâ rerum atqve luxu totus fuit enervatus atqve fractus. *Cicero contra Rullum: Luxuries Annibalem Capuâ fregit. Valerius lib. 9. cap. 2. Livius lib. 2. cap. 3. Florus lib. 2. cap. 6. Capuam Anniba'i Cannas fuisse scribit. Lucanus in contentione Annibalis & Alexandri, mulieribus deditum Annibalem, belli gerendæ occasiones prodidisse auctor est. Videatur Seneca lib. 7. Epist. 1.*

Post expugnatas Syracusas, annò tertio, CAPUA deditione capta fuit à Romanis. (*Livius lib. 26. Florus lib. 2. cap. 6. Oros. lib. 4. cap. 17.*) Diu multumqve deliberatum fuit, an esset urbs delenda: postremò placuit conservandam esse: verumtamen, ne posset unquam rebellionem facere, ademptus fuit illis ager, sublatus, omnis Magistratus atq; Senatus, publicumq; consilium, imago nulla Reipublicæ relicta, (*Cicero contra Rullum. Vellej. lib. 2.*) sed constitutum, ut esset locus comparandis con-

den.

dendisq; fructibus, receptaculum aratorum, nundinæ rusticorum, cella horreumq; agri Campani. *Stetisse Capuam, antequam à Romanis caperetur, annis circiter 260. Marcus Cato author est, teste Paterculô lib. 1. Idem lib. 2. in præfecturæ formam redactam scribit.*

Bienniô post, ASDRUBAL novas copias auxiliares in Italiam adduxit, verum à M. Liviô Salinatore, & C. Claudiô Nerone, consulibus, ad Metuarum flumen occisus fuit. *Livius lib. 17. Florus lib. 12. cap. 6. Polybius lib. 11. Silius lib. 15. Eutropius lib. 3. Svetonius in Tiberiô. Oros. lib. 4. cap. 7. Horat. lib. 4. Ode 4. Plin. de viris illustr. Cicero in Brutô hoc prælium Senense vocat. Metaurus Umbriæ fluvius hodie Metro appellatur, teste Leandro, Lambinô, Bonacialô & aliis.*

Interea rem feliciter in Hispaniis gerebat P. CORNELIUS SCIPIO, (*Cic. pro Balbô,*) quem diximus, cum ipsius & pater & patruus ibi fuissent interfecti; & omni recuperatâ provinciâ Romam revertit, & factus Consul Africam sibi dari petit, ut ibi bellum gerat. **Vehe-**  
**men-**



menter autem ei resistit. Q. FABIAS MAXIMUS, ætate gravis, & non adeundam Africam, sed cum Annibale præliandum esse contendit. (*Entropius lib 3*) Scipio contra: quòd si Carthaginensibus bellum inferatur in ipsorum finibus, fore, ut necessitate coacti Annibalem, in quò summam spei atque præsidium collocassent, ex Italiã deum revocent. *Orationes Fabii Maximi & P. Cornelii Scipionis exstant apud Livium lib. 28 & 29.*

A multâ disceptatione, Scipioni Senatus tribuit Siciliam: & si quidem esset usu Republicæ, ut in Africam eat, permittit. Ille igitur è Siciliã tandem in Africam proficiscitur, & quod Senatui prædixit, re comprobavit ipsã. Nam præliis atque quot ab eò victi, plurimisq; damnis affecti Carthaginenses, Annibalem revocant. (*Liv. lib. 30. Plinius lib. 15. c. 18* *Castra Punicæ tertium lapidem vallata: Orosius lib. 4. c. 19. Polybius lib. 15. Appianus.*) Sic ille, qui decem annis per Italiam grassatus erat, quòd sub Romæ urbis mœnia castris locum deligerat, domum redire coactus est, quantum

vis invitus atq; dolens : & tandem ingenti præliô superatus à Scipione fuit, qui de Senatûs voluntate pacē deinde cū hoste fecit. Hinc ei datum cognomen, ut *Aphricanus* diceretur. [*Ante Æram Vulg. 201.*] *Eutropius lib. 3. Livius lib. 30. Primus hic Imperator nomine victa à se gentis est nobilitatus.*

Hic verò considerandum est, quomodo fumis ex angustiis emerferint Romani. Jam enim per annos aliquot tenuissimô filô pendeat omnis ipsorum fortuna, sed in fatis erat, ut vim omnem atqve calamitatem superarent, & domini fierent orbis terrarum : idq; prævidisse ferunt Annibalem, quum fratrem esse victû Asdrubalē, audisset (*Livius lib. 17. Florus lib. 2 cap 6.*) Ipsius quidem verba, quibus tunc usus fuit, Horatius (*lib. 4. Ode 4.*) refert, in illô carmine, quô Drusi laudes ejusqve familiæ celebrat. Et quia doctissimum est elegantissimumq; carmen, planè meretur, ut juvenus illud inter alia memoriæ commendet.

Factâ cum Carthaginensibus pace, Romani, præter ea bella, quibus occupati

pati fuerunt, per Italiam, Istriam, Lusitaniam, grave quoque bellum gesserunt cum PHILIPPO Macedonum rege, qui Græciam oppresserat. Ejus belli fuit Imperator T. Quintus Flaminius, (*Plurarch. in Flaminiô*) qui tandem, hoste devictô, de Senatus voluntate Græciam libertati restituit, & inter alia Philippo regi præscripsit, ne Senatus injussu belligeraret extra Macedonię fines. *Bellum hoc Macedonicum etiam Philippicum à rege quòcum gestum est, nominatur, de quo Livius lib. 31. & deinceps Florus lib. 2. cap. 7. Eutropius 4. Orosius lib. 4. cap. 20. Val. lib. 4. cap. 8. Pausanias in Achaicis. Polyb. lib. 17. Justinus lib. 31. Plin. de viris illustribus.*

Huic bello successit alterum, aduersus ANTIUCHUM Syrię regem, qui transgressus in Europam, devictus fuit à M. Glabrione Græciãque pulsus, auxilium Romanis ferente Macedonum rege, Philippo. *Livius lib. 35. Florus lib. 2. cap. 8. Justinus 31. Eutropius 4. Orosius lib. 4. cap. 10. Appianus in Syriaca. Bellum hoc cum Antiochô gestum Antiochinum, Syriacum & Asiaticũ dictũ est. Meminit Cicero Philippica II. Plin. de viris illustribus.*

Sunt autem hi, quos diximus, Asia, Syria, Macedonia reges, ex eorum posteritate, qui post Alexandri Magni mortem provincias inter se partiti fuerant, ut supra (pag. 42.) diximus. Nam Carthagine pacatâ, totâq; subactâ Italiâ, Romani, cum reliquas etiam Europæ partes viciniore terrâ marique; debellâssent, eò jam potentiâ creverât, ut longinque etiam reges atq; populi fidem ipsorum implorarent. *Justinus lib. 31.*

Hunc ad modum Ægyptii, quorum res PTOLOMÆUS EPIPHANES admodum adolescentulus, per ætatem non poterat administrare; cum ab Antiocho Magno periculum immineret, missis Romam legatis, potebant, ut Senatus tutelam regis pueri susciperet.

Eò factò, Senatus Antiocho denunciât, ut ab Ægyptò abstineat: ille offensus, præsertim, cum Annibal profugus & hospes ipsius, vehementer bellum svaderet, in Græciam cum classe trajecit, *Livius lib. 31.* ibique profligatus fuit, ut antea diximus. Comparatâ deinde classe, Romani persequuntur illum, & in Asiam trans-



transportati, maximò præliò vincunt, & ultra Taurum montem rejiciunt, [*Ante Æram Vulg. 190.*] *Livius lib. 37. Cicero pro Sextiò.*

Post acceptam cladem dicere est solitus, ut Cicero (*pro Dejotarò,*) narrat, benignè sibi à populò Romanò esse factum, quòd nimis magnà procuratione liberatus, modicis regni terminis uteretur. Bellum hoc gubernabat L. CORNELIUS SCIPIO, P. Scipionis Africani frater, vocatus ob hoc ipsum ASIATICUS. *Florus lib. 2, cap. 8. Eutropius lib. 4. Appianus in Syriaca. Orosius lib. 4, cap. 20, &c. Plinius de viris illustribus. Scipio hic tandem captus à rege Antiocho pecuniis damnatus est. Valerius lib. 4, cap. 8, & lib. 8, cap. 1. Plutarchus in Catone.*

Post Ætolos debellavit M. Fulvius nobilior, de iisque triumphavit. *Livius lib. 48. Appianus in Syriaca. Florus lib. 2, cap. 9. Justinus lib. 31. Eutropius lib. 4. Meminit Cicero in primà Tusculanà. Plinius lib. 35, cap. 11.*

Et cum ex Asià domum revertisset, P. Scipio Aphricanus, qui legatus eò bellò

fra-



fratri fuerat, à Tribunis plebis divexatur. Itaque Liternum secessit, in villam suam, atque ibi, sicut nonnulli tradunt, mortem obiit, [ *Ante Atram Vulg. 134.* ] vir longè præstantissimus, natus annos LII. æqualis M. Porii Catonis. *Livius lib. 38. Orosius lib. 4. cap. 20. Valerius lib. 5. cap. 3. Augustinus de Civitate Dei, lib 3. cap. 21. Plinius de viris illustribus.*

In Dialogo, quem de senectute Cicero scripsit, Catonem introducit amanter, & honorificè de Scipione, deq; suâ & illius ætate studiisq; loquentem, imprimis verò celebrantem illius magnitudinem animi: *Livius (lib. 38)* autem inimicum ei Catonem, solitumque fuisse dicit, hanc ipsius fortitudinem odiosius exagitare: celeritatem ei Cicero (*Verrin. 7.*) tribuit in re gerendâ.

*Suspicio Sleidanum memoriâ lapsum, ea, quæ in Dialogo de Senectute à M. Portio Catone de Q. Fabio cunctatore, deque ejus studiis & ætate prolixè dicuntur, hoc locò ad P. Scipionem referre. Constat autem ex lib. 4. cap. 18. Gellii, Catonem Scipionis Africani inimicum fuisse, tribunosque plebis ei immisisse. Videatur*

zur Suidas in voce κἀλὼν ἔσ' αἰὼς ὄσσι, ubi contrarium.

Florebant eô tempore, ENNIUS, PLAUTUS, NÆVIUS, poëtae. Gellius lib. 17. cap. ult. [Ante Ær. Vulg. 183.]

Debello Antiochô, Annibal ad Pruthiam Bithyniæ regem profugit, & quum illum sibi dedi Romani postularent, haustô venenô vitam finiit. De Annibalis morte diversas historicorum opiniones lege apud Plutarchum in vitâ Annibalis. & Quinti Flaminii. Item apud Emilium Probum in vitâ Annibalis. Meminit Juvenalis Satyrâ 10. Julius Obsequens cap. 3. prodigiorum Plinius de viris illustribus. Silius Italicus lib. 13. Habet de sepulchrô ejus Plinius lib. 5. cap. 32.

Antiocho succesit filius ANTIOCHUS EPIPHANES. (Livius lib. 45.) Qui & ipse per insidias Ægyptum occupare cogitabat, cum esset Ptolomæi Philometoris, Ægypti regis, qui mortuo patri [Ante Æ. V. 180.] successerat, avunculus. Itaque tutorem se professus adolescentis, (erat enim ex sorore Cleopatrâ natus, unde ob cognationem simulabat tutelam,) opprimere illum, ac rei summam

nam ad se traducere constituit: sed intellectâ fraude, Români, quorum auxilia denuò sollicitaverant Ægyptii, legatum miserunt, C. Popilium Lænatein, (*Plinius mendose Octavium vocat, Vellejus Marcum: Justinus Publium,*) is, cum in Colloquium venisset, Antiocho, populi Romani nomine, denunciât, ut ab Alexandria, quam obsidebat, discederet, qui cum deliberandi spacium peteret, ille virgulâ stantem circumscripsit, & quid facturus esset, clarè jussit antè respondere, quàm ex eâ circumscriptione excederet. Ita, perterrefactus, quòd populi Romani potentiam non ignoraret, pacem promisit. *Valerius Maximus libr. 6. cap. 4. Cicero Philipp. 8. Plinius lib. 8. cap. 6. Vellejus libr. 1. Justinus lib. 34. Appianus in bellò Syriacò. Plutarchus Apophthegmat. tomo 2.*

Hæc eò commemorantur, ut videri possit, quemadmodum Romani paulatim à parvis initiis creverint, ac progressus fecerint ad summam rerum constituendam. Jam enim virtus illorum egressa

fines Italiae, in diversas quidem mundi plagas impressionem fecit, sed permultum adhuc operis reliquum erat, ad coacervationem illius imperii molis, quæ potissimam orbis terrarum partem ambitu suo complectitur, ut ordine deinceps, tametsi breviter, exponam.

Is, quem supra dixi, PHILIPPUS Macedonum Rex, quod à Romanis in angustias redactum se gravissimè ferret, (*Justinus lib. 32.*) bellum redintegrare cogitabat, sed præoccupatus morte, [*Ante Æram Vulg. 179.*] successorem habuit PERSEA filium, qui jam pridem in Romanos exacerbatus, belli quoque gerendi velut hæreditatem suscepit. Sed L. Æmilius Paulus, II. Consul, [*Ante Æram Vulg. 168.*] prælio tandem illum vincit, [*Valerius lib. 5. cap. 1.*] & unâ cum uxore, matre liberisque capit, inque triumpho ducit, vocatus idcirco MACEDONICUS, ab eoque tempore Macedonia facta est populi Romani provincia. *Messala Corvinus de Rom. historia.*

Secundum bellum Macedonicum describit Livius lib. 41. & seqq. Plutarchus in *Æmi*



*Emiliò Paulò. Diodorus Siculus lib. 31. Florus lib. 2. cap. 12. Eutropius lib. 4. Vellejus lib. 2. Orosius lib. 4. cap. 20. Meminit Valerius lib. 4. cap. 1. Cicero pro Muren. § 2. Offic.*

Superiori proximò annò mortuus erat Ennius, [ *Ante Æram Vulg. 169.* ] annorum septuaginta, sicut ait Cicero. *In Brutò & in Catone. Livius lib. 47. Plinius de viris illustribus. Frontinus lib. 3. cap. 6.*

Paucis deinde post annis, P. CORNELIUS NASICA, [ *Ante Æram Vulg. 155.* ] Dalmatiam subegit: neque multò post, TERTIUM est BELLUM PUNICUM exortum. [ *Ante Æram Vulg. 149.* ] [ *Tertium bellum cum Pœnis gestum exponitur in Epitome Liviana, lib. 49. 50. 51. Scribitur ab Appiano in Libycò, à Curtarcho in Catone, ab Eutropiò lib. 4. à Florò lib. 2. cap. 15. ab Orosiò lib. 4. cap. 22.* ]

Et enim cum Carthaginenses, quietis impatientes & otii, reliquis vicinis, præcipuè verò MASANISSÆ, Numidiæ Regi, populi Romani socio & amico, vim atque bellum inferrent, sollicitati Romani de auxiliis, bellum decreverunt, ad annum



urbis conditæ circiter sexcentefimū quartum. Sed in eō sententiis variabant, utrum evertī civitatem, an verò servari oporterec̄ integram: Una erat eorum sententia, qv̄i non delendam esse censebant, eò, qv̄d Carthagine sublatâ fore dicerent, ut civilibus inter se disfidis atqve bellis conflictarentur ipsi: M. autem PORTIUS CATO, diversum svadens, (*Plutarchus in Catone Majore,*) quantum Reipublicæ Romanæ periculum impenderet ab eâ civitate, nisi funditus everteretur, demonstrabat, (*Plinius lib. 15. cap. 18.*) eâqve sententiâ vicit, (*Cicero in Brutô,*) ipfô in hâc deliberatione mortuô, [*Ante Æram Vulg. 149.*] cum ad octogefimum quintum aâum ætatem produxisset. Eum Cicero numerat inter Oratores antiquos, & proximum à MARCO CORNELIO CETHEGO ponit, quem ab Enniô celebratum esse dicit. (*Ennius in 9. Annal. Cicero de claris Oratoribus dicit, quod ob suaviloquentiâ sit dictus Suavimedulla*) Catonis autem orationes extare centum, ait, quinquaginta, refertas & verbis & rebus

bus illustribus, & sui temporis homines delicatiores reprehendit, quod non eas diligenter evolvant. Confert eum cum *LYSIA* Scriptore Atticò. *Vide Gellium lib. 13. cap. 18. Ciceronem septimâ Verrinâ, Valerium Maximum lib. 3. cap. 5. Senecam Epistolâ 87.*

Bello Punico tertio præfectus demum fuit *P. SCIPIO ÆMILIANUS*, Pauli Macedonici filius, P. verò Scipionis Africani, per Adoptionem, nepos. *Vellejus lib. 1.* Is post inchoatum bellum ab aliis, annò quartò, [*Ante Æram Vulg. 146.*] Carthaginem aliquot diebus vehementer oppugnatam capit, diripit, incendit, (*urbs inflammata 16. arsit dies,*) complanat: adeptus ideò cognomen, ut Africanus etiam diceretur, sicut ille, qui Annibalem debellavit, ut suprâ (*pag. 71.*) dictum est. *Appianus in Libyco. Plutarchus in Scipione. Plinius lib. 15. cap. 18. Livius Epit. 51. Florus lib. 2. cap. 15. Solinus cap. 40. Strabo lib. 16.*

Et hic quidem est urbis potentissimæ finis, qui origine vetustior quàm Romana & ducum præstantiâ ferè non inferior, longè latèqve dominata fuit.

De tempore Carthaginis conditæ discrepant authores. Justinus lib. 2. septuaginta duobus, Livius Epitom. 51. nonaginta tribus Româ vetustioreni faciunt Eusebius ejus ortum collocat in annum 40. ante Ilium captum, Appianus in quinquagesimum. Vide Orosium lib. 3. cap. 6.

P. Scipionem Cicero (*Verrin. 6.*) scribit, Carthagine captâ, Siculis reddidisse, quæ superioribus annis Carthaginenses illis ademerant, signa & ornamenta, & Agrigentinis quidem Taurum illum nobilem, quem PHALARIS tyrannus [*Innotuit Seculo sexto ante Æram vulgarem.*] habuisse dicitur, quo vivos, supplicii causa, demittere homines & subjicere flammam solebat.

De Phalaride ejusque Taurô Orosius lib. 1 cap. 20. Valerius lib. 5. cap. 1. lib. 9. cap. 2. Plutarchus in Paral. 34. cap. 8. Cicero in Pisonem. 5. Tuscul. Seneca de clement. lib. 2 cap. 3. Juvenalis Satyrâ 8. Persius Satyrâ 30.

Phalaris hic non ex insidiis interiit, ut alii multi tyranni, sed in eum universa Agrigentinarum multitudo impetum fecit. Cicero in Officiis, lib. 2. Valerius lib. 3. cap. 3. Ovidio

*vidius in Ibin. Meminit hujus tyranni Diogenes Laërtius lib. 9. suum nomen non exprimit.*

APHRICAM Cicero (pro Ligario) vocat  
*provinciarū omnium arcem.*  
 Bellō Punicō Carthaginensium regio in provin-  
 cia formam redacta est, teste Vellejō lib. 1. &  
 Strabone, librō ultimo. Idem patet ex F. Rufo &  
 Solusti historiā Jugurthinā.

Eōdem ferè tempore, bellū Romani fece-  
 runt ACHÆIS, Græciæ populo: propter vio-  
 latos legatos. (*De causā belli variant autho-  
 res, qui hujus belli historiā exposuerunt.*) Belli  
 dux erat L. MUMMIUS Cons. qui præliō vi-  
 ctor Achaiam omnem deditioe cepit, &  
 CORINTHUM, primariam urbem, ac totius  
 Græciæ lumen, ut Cicero inquit, (*pro L.  
 Manilia, item 1. Offic. in Agrar. contra Rul-  
 lum, III. Verr.*) ex Senatusconsultō incen-  
 dit, funditusque sustulit, (*Ante Æram  
 Vulgarem 146.*) ne quando recreata exsur-  
 gere atque erigere sese posset. MUMMIUS  
 ob eam rem vocatus est ACHÆICUS. De  
 bellō Achæicō egatur, Livius lib. 52. Vellejus  
 lib.



*lib. 1. Florus lib. 2. cap. 16. Entropius lib. 4. Pausanias lib. 7. Justinus lib. 34. Festus Rufus. Orosius lib. 5. cap. 3. Plinius lib. 34. cap. 2. Memini Virgilius lib. 6. Plinius de viris illustribus.*

Ad hoc etiam tempus LUSITANIAM occupavit VIRIATUS (*Livius lib. 52.*) quidam, ex pastore venator, ex venatore latro, ac deinde validi exercitus dux factus: qui cum Romanis, per aliquot annos, (*decem Justinus lib. 44.*) ac sæpè quidem feliciter præliatus, insidiosè tandem fuit interfectus: (*Valerius lib. 9. cap. 6. Livius Epit. 54. Strabo lib. 3. Festus Rufus.*) ac tùm demum DECIUS JUNIUS BRUTUS, Consul, Lusitaniam ad Oceanum usque perdomuit. [*Ante Æram Vulg. 138.*]

De re gestâ cum Viriatô legatur Appianus in Hispanicis. *Florus lib. 2. cap. 7. Vellejus lib. 2. Entropius lib. 4. Orosius lib. 5. cap. 4. Memini Viriati Cicero 2. Officiorum, Plinius de viris illustribus, Silius lib. 3.*

Romani magnam intereâ cladem à NUMANTINIS, Hispaniæ populô, acceperant: cùmque pacem à Mancinô Confule factam repudiarent, quòd esset ignominio-



niosa, P. Scipionem Æmilianum Africānum extra ordinem denuò creant consulē, eiq; bellum demandant. *Livius lib. 55. Vellejus lib. 2. Orosius lib. 5. Cicero 3. de Offic.*

Is cum exercitu profectus, & ad severam disciplinam revocatō milite, qui mollior factus erat, & laboris impatientior, (*Entropius lib. 4.*) Numantiam urbem, ubi circumvallāset aliquandiu, cepit ac delevit, annō post deletam Carthaginem decimō quartō, urbis conditæ annō sexcentesimo. [*Ante Æram Vulg. 133.*] *Vide Florum lib. 2. cap. 18. Strabonem lib. 9. Appianum in Ibericis, qui Scipionem ex hac victoriā cognomen Numantini accepisse tradit.*

Carthaginē, Numantiamq; Cicero vocat *duos terrores Imperii Romani*. In Orat. pro L. Murenā & pro lege Maniliā.

Eodem tempore fervorum est ortus in Sicilia tumultus, qui maximis collectis copiis, vix tandem à C. FULVIO

Consule fuerunt oppressi. Belli servilis h<sup>is</sup>toriam expositam luculenter à Diodorô Siculô edidit Latine Henricus Stephanus. De eodem scribit Livius Epit. 56. Florus lib. 3. cap. 19. Meminit Appianus lib. 1. Orosius lib. 5. cap. 6. Non autem C. Fulvius servos subegit, sed bellum, sub ejus consula:u ortum, triennio post P. Rupilius confecit, provinciâque ordinavit. [ *Ante Æram Vulg.* 132 ] Vide Sigonium commentariô in Fastos Romanos. *Fast.* lib. 18.

Post hæc, bellum fuit Romanis cum Aristonico in Asiâ; Nam Pergami Rex Artalus, populûm Romanum testamento fecerat hæredem. *Livius Epitom.* 58. *Appianus in Mithrid.* *Justinus* 36. *Florus* lib. 2. cap. 20. *Strabo* lib. 14. *Europius* lib. 41. *Vellejus* lib. 2. *Cicero Philippicâ* 11. *Festus Rufus.* Meminit *Horatius* lib. 2. Ode 18. *Plutarchus* in *Gracchi*.

Aristonicus autem, ejus propinquus, occupatâ eâ parte Asiæ, testamento Romanos fraudabat. Hunc & debellavit & tandem cepit M. PERPENNA Consul. ( *Ante Æram Vulg.* 130 ) *Livius Epit* 59 *Valerius* lib. 30 cap. 4. *Justinus* lib. 36. in fin.

Annô

Annò autem seqventi, [*Ante Æram  
Vulgarem 129.*] qv̄i fuit annus urbis condi-  
tæ DCXXV. P. Scipio Aphricanus, domi  
suæ cubans, noctu fuit oppressus à propin-  
qvis, uti creditur. *Vide Livium libr. 59. Vel-  
lejum 2. Appianum 1. Plutarchum in Grac-  
chis. Ciceronem in Lelio & Milone. 3. de Na-  
turâ Deorum. Orosium lib. 5. cap. 10. Suspicio  
de Sempronîâ, Tiberii Gracchi filiâ, Africa-  
ni uxore, est in Epitom. Livii: De Sempronîâ  
ac Corneliâ socru in Appianò lib. 1. de bellis ci-  
vilibus. Hinc Cicero in somniò Scipionis di-  
xit: Si impias propinquorum manus effugeris.  
Existimatus est quoque C. Carbo tribunus ple-  
bis Africanus vim attulisse, Cicero lib. 9. Epi-  
stolarum ad famil. 21. ad Patrum, ad Quintum  
Fratrem lib. 2. Epistolâ 3. Metellum Macedo-  
nicum hujus cædis insimulat Plinius lib. 7. cap.  
44. Appianus addit, non defuisse, qui Scipio-  
nem sibi ipsi mortem intulisse, scripserint.*

Eloquentiam, summam fidem, inte-  
gritatem, ei Cicero (*pro L. Muræna*) tri-  
buit: & quanquam ipsius interitu maxi-  
mum dolorem civitas tota perciperet,  
nul-

nullam tamen quæstionem de illius morte latam fuisse scribit (*pro Milone.*) Solem verò fuisse geminatum eodem annò tradit. (*Meminit ejusdem Vellejus 2. de natura Deorum.*) Itaque ducum longè omnium præstantissimus periit, natus annos LVI. quod quidem Africanum ei majorem præsignificasse, commentatione quâdam svavissimâ fingit Cicero. *In somniò Scipionis.*

Vixerunt (*Vellejus lib. 2.*) hæc ætate LUCILIUS, TERENCEUS, PACUVIUS, ACCIUS, LICINIUS, CÆCILIUS, AFRANIUS : & Pacuvium quidem C. Lælius, Africano conjunctissimus, (*Cicero in Lælio*) amicum suum vocat, Terentium verò familiarem. *De his legatur Gellius lib. 13. cap. 23. & lib. 17. cap. ult. Lilius Gyraldus historia Poëtarum dialogo 4. & Petrus Crinitus.*

Post hæc FABIUS MAXIMUS consul, Allobroges, Arvernos, Rutenos, Galliæ populos, ingenti præliò superavit. [*Ante Aram Vulg. 120.*] *Livius Epit. 61. Strabo lib. 4. Orosius lib. 5. cap. 14. Florus lib. 3. cap. 2. Cesar 1. de bellò Gallicò. Appianus in Celtica. Plinius lib. 7. cap. 50.*

Eodem



Eodemque tempore fuit interfectus Romæ C. GRACCHUS, tribunus plebis, vir eloquens, legis Agrariæ defensor, cum ante annos XII. ejus frater TIBERIUS GRACCHUS confimili de causa cæsus fuisset. *De cæso Gracchô videatur Plutarchus in Gracchis. Appianus 1. de bellis civilibus. Orosius lib. 5. cap. 8. Florus lib. 3. cap. 15. Vellejus lib. 2. Livius Epit. 61. Valerius lib. 6. cap. 3. Salustius in Jugurthina. Augustinus lib. 3. cap. 24. de civitate Dei. Tiberii Gracchi interitum refert Livius Epit. 58. Florus lib. 3. cap. 14. Plinius de viris illustribus. Valerius lib. 6. cap. 3. Seneca de consolatione ad Martiam.*

Utrique Cicero (in *Brutô*) tribuit eloquentiæ laudem, & Tiberii quidem orationes non satis splendidas verbis, sed acutas, prudentiæq; plenissimas, C. verò, fratrem ejus legendum esse cum primis juventuti dicit, quòd non solum acuere, sed etiam alere ingenium possit, eumq; vocat Romanorum ingeniosissimum atque eloquentissimum.

Somniaverat Gracchus ( *Valer. Max. lib. 1. cap. 7. Plutarchus* ) Tiberium fratrem  
sibi



sibi visum esse dicere, fore, ut eodem letho, quod ipse, periret: & hoc illum dixisse nonnullis, antequam Tribunus plebis factus esset, Cicero refert, *lib. 1. de divinatione.*

Extant illorum leges frumentariae, de coloniis deducendis, de commodis militum, de provinciarum administratione, de populi suffragiis, de locatione agri Attalici & Asiae: *Vid. Fr. Hottomanni Comment. de legibus Romanis. Johannis Rosini antiquitates Romanas, lib. 8.*

Hos Notus Tribunitios consecutum est bellum populi Romani cum JUGURTHA Numidiae rege, (*Plinius de viris illustribus*) quod quidem bellum à L. CALPURNIO BESTIA Cos. susceptum, & à Q. CAECILIO METELLO continuatum, à C. MARIO CONSULE, qui P. Scipioni militaverat, tandem confectum est: (*Plinius lib. 37. cap. 1.*) Nam Rex Mauritaniae BOCCUS, Jugurthae socius, praeliò victus, cum belli periculum nollet sustinere diutius, victum Jugurtham SYLLAE tradidit, [*Ante Aeram Vulg. 105.*] qui missus à Mario fuerat, hujus rei causa. *Vide Salu-*

*Salustii Jugurthinam historiam. Livium Epit. 64. & seqq. Florum lib. 3. cap. 1. Entropium lib. 4. Vellejum 2. Orosum lib. 5. cap. 15. & c. Traditionem hanc in annulô suo Sylla expressit, ut Plutarchus in vita & in Mariô, Valerius Maximus lib. 8. cap. 15. testantur.*

Et ad hoc ipsum tempus, quod erat urbis conditæ annô DCXLVIII. natus est M. Tullius Cicerô, (*Ante Æram Vulg. 107.*) Gellius lib. 15. cap. 8. cum annis ante ipsum octo natus esset Q. Hortensius, clarissimus Orator. *Cicerô in Brutô.*

Per Bellum Jugurthinum Cimbri & Theutoni innumerabili multitudine perietrant, alii in Italiam, alii in Galliam; ac ubi maximis cladibus populum Romanum affecissent, & nunc proconsules, nunc Legatos aliquot præliis vicissent, tandem ad internecionem cæsi fuerunt à C. MARIO IV. consule, Theutoni quidem ad Aquas Sextias, provinciæ Galliæ oppidum, [*Ante Æram Vulg. 102.*] Cimbri autem ad fines Insubriæ. (*Ante Æram Vulg. 101.*) *Plutarchus in Mariô. Appianus in Celticis. Livius Epit. 68. Florus lib. 3. cap. 3.*

Entro-

*Eutropius lib. 5. Orofius lib. 5. cap. 16. Bellum Cimbricum Cicero in Orat. de provinciis, Gallicum vocat.*

Hanc felicitatem excepit novus tumultus. Nam Italiae populi aliquot à Romanis defecerunt, SAMNITES, PELIGNI, MARSI, VESTINI, MARRUCINI, UMBRI, PICENTES, LUCANI. De his Italiae populis videatur Strabo lib. 5. Plinius lib. 3. cap. 5. Silius lib. 8. Pomponius Mela lib. 2. cap. 8. Historia legatur apud Livium Epit. 72. Florum lib. 3. c. 8. Vellejum lib. 2. Eutropium l. 5. Appianum Alexandr. lib. 1. de bellis civilibus. Orofium lib. 5. cap. 18. Meminit Augustinus de civitate Dei libr. 5. cap. 22. Horatius Ode 4. lib. 3.

Variè [Ante Ær. Vulg. 90.] cum his pugnatum est, & vix tandem ad officium reducti fuerunt. Bellum hoc, quia à Marsis inchoatum, Marsicum nominatur à Strabone lib. 5. cum hoc facit Cicero Philippicâ 8. in Orat. contra Rullum. Item Plinius lib. 8. cap. 57. lib. 25. cap. 5. Eidem & Sociale dicitur, lib. 32. cap. 1. ubi simul origo indicatur, & lib. 33. cap. 1. Aliàs & Italicum appellatur à Cicerone, Verrius rina 4. pro Cluentio, pro Archia & de Auspi-

cum responsis. Portentū, quod hoc bellum precessit, refertur à Pliniò lib. 2. cap. 83. ubi etiam Italia funestissimum fuisse annotatur. Vastitatem, quam Italia intulit, indicat Florus lib. 3. cap. 18. Defecerunt autem eò bellò finitimi ac vicini, ut ait Cicerò pro Syllâ.

Mox aliud malum, ac Reipublicæ perniciosissimum intervenit: MITHRIDATES, Ponti rex, Cappadociæ regem Ariobarzanem, & Bithyniæ regem Nicomedem, populi Romani Socios & Amicos, finibus ejecerat, & occupatâ Phrygiâ, Romanorum provinciâ, penetraverat in Asiam. De hoc bellò legatur Orosius lib. 6. cap. 2. Eutropius lib. 5. Florus lib. 3. cap. 5. Livius Epit. 78. Cicero pro lege Maniliâ. Valerius lib. 9. cap. 2. Plutarchus in Syllâ. Appianus in Mithridate. Justinus lib. 38.

Itaque Senatus bellum decrevit: Florus lib. 3. cap. 21. Hic autem ortâ factione, alii L. SYLLAM, nobili genere natum, alii C. MARIUM poscebant Imperatorem. Marii partes juvabat P. SULPITIUS, tribunus plebis. Livius Epit. 77. Vellejus 2. Valerius lib. 9. cap. 5. Appianus lib. 1. belli civilis. Plutarchus in Mariò & Sylla. Cicero in Brutò.

Habe-



Habebat autem exercitum Sylla, Mariumque urbe ejecit, qui maximo deinde vitæ periculo, cum in paludibus circa Minturnas delituisse, parvâ naviculâ in Aphricam trajecit exil. [*Ante. Atram Vulg. 80*] *Vellejus lib. 2. Cicero pro Sextiô in oratione ad Quirites post reditum, in Pisonem. Livius Epit. 77. Ovidius lib. 4. de Pontô, elegia 3. Juvenalis Satyrâ 10. Lucanus lib. 2. Plinius de viris illustribus, Valerius Maximus lib. 8. cap. 2.*

Per absentiam Syllæ, belligerantis in Africa, L. CORNELIUS CINNA, Consul, tumultuari cœpit, & moliri res novas: (*Livius Epit. 79. Cicero 3. Catilinariâ*) verum ejectus à CN. OCTAVIO collegâ, & pulsus urbe colligit vires, & C. Marium, istâ occasione reversum ex Aphricâ, sibi conjungit; *Bellum hoc Octavianum dicitur, cujus meminit Cicero lib. 1. de divinâ. & 2. de Naturâ Deorum. Plutarchus in Syllâ. Appianns lib. 1. Vellejus lib. 2. Eutropius lib. 5.*

Itaque contractis copiis Romam obsident ambo, quâ parte Janiculum erat: & cum non ignavè tantum, sed & perfidiose



se multa in urbe fierent, neque jam illis resisti posset, intromissi cædibus atque rapinis omnia complent; (*Livius Epit. 80. Orosius lib. 5. cap. 19. Lucanus lib. 2. Salustius 1. Histor.*) deinde seipso renunciant Consules, [*Ante Aram Vulgarem 87.*] in eoque Magistratu crudeliter multa fecerunt: & L. quidem Cinna præstantissimum Oratorem M. Antonium interfici jussit: Marius verò Q. Catulum. *Quomodo uterque ab inclementi victore vitâ expulsus sit, scribunt Florus lib. 3. cap. 21. Eutropius lib. 5. Meminit Cicero lib. 3. de oratore. 5. Tusculanâ, in Brutô lib. 3. de Naturâ Deorum. Valerius Maximus lib. 9. cap. 2. Vellejus lib. 2. & Florus dicto locò, de morte Catuli nonnihil variant.*

His rebus cognitis, L. Sylla, cum ple-raqve omnia bello recuperasset, pace cum Mithridate facta, in Italiam revertit: sed jam è vitâ decesserat Marius VII. Consul. *Cicero lib. de Natura Deorum. Livius Epit. 80. & 83. Plinius de viris illustribus.*

L. verò Cinna collegam habebat suarum partium C. N. PAPIRIUM CARBONEM: (*Livius Epit. 86. & 88.*) qui, licet vim & arma

arma Syllæ opponerent, unâ cum filiô Marii, profligati fuerunt : & Sylla rerum potitus, adversarios omnes acerbissimè persequitur, proscriptionis tabulam proponit, proscriptorum bona vendit, eorumque liberis facultatem eripit, atque jus, ullos honores in Republ. consequendi. (*Cicero 2. de Offic. Augustinus de Civitate Dei, lib. 3. cap. 28. Lucanus lib. 2. Cicero 3. de legibus.*) Factus inde Dictator, [*Ante Aram Vulg. 82.*] (*Florus lib. 3. cap. 23.*) pro suo arbitrato omnia constituit, ac tribunitiam potestatem infringit, & quum civium Romanorum bona venderet, prædam se suam vendere, pro concione dicebat: breviter, nemo illô invitô, nec bona, nec patriam nec vitam retinere poterat. *Livius Epit. 88. Plutarchus in Syllâ. Appianus 1. Civil. Oros. lib. 5. cap. 21. Cicero pro Ligario: Sylla omnes, quos oderat, morte mulctabat. Seneca de beneficiis, lib. 5. cap. 16.*

*L. Silla patriam durioribus remediis, quàm pericula erant, sanavit. Florus lib. 3. cap. 2.*

In C. verò Marium odiô tam acerbô fuit incitatus, ut ejus reliquias, apud Anienem fluvium sitas, dissipari jufferit:

Cicero 2. de Legibus. Plinius lib. 7. cap. 54. ipse autem primus è patriciis Corneliis igni voluit cremari, fortasse timens idem suo corpori posse accidere. *Quomodo Sylla in agrò Cumanò mortuus, annò ætatis 60. & Romã per latus, cum magnâ pompâ, in campò Martiò sepultus sit, præter ceteros Appianus lib. 1. copiosè narrat. Meminit Livius Epit. 90.*

Mario vim & virtutem, & in iracundiõ perseverantiam Cicero tribuit: Syllam, vehementem, L. verò Cinnam vocat (*Actiões. in Verrem, seu de suppliciis. 3. de Naturâ Deorum*) crudelem, Marium appellat etiam terrorem hostium, spem, subsidiumq; patriæ. Cicero Lib 3. de sinibus. Syllam triumphiferorum vitiorum, luxuriæ, avaritiæ & crudelitatis magistrum vocat. Marium in oratione pro Sextiõ conservatorem patriæ, tertiam Catilin. custodem urbis, pro C. Rabiriõ patrem patriæ. parentem libertatis & Reipublicæ appellat, Lucanus lib. 1. Pharsal. Syllam scelestum magistrum nominat.

L. Sylla quatuor novas leges tulit, de falso, de parricidiõ, de sicariis,

E

riis,

*riis, de injuriis. Hottom. de legibus Rom.*

Ipsò Dictatore, M. Cicero natus annos XXVI. [*Ante Atram Vulgarem 81.*] in forum prodiit, & pro S. Rosciò publicam causam dixit. *In hoc Gellius libr. 15. cap. 28. Quintilianus lib. 12. cap. 6. Asconius & alii consentiunt. Conradus Fenestella errorem à Pedia nò notatum, sequi maluit.*

Ante ipsum clarissimi nominis oratores fuerunt, Q. CATULUS, C. JULIUS, M. ANTONIUS, L. CRASSUS, cujus quidem ætate lingua Latina suam quasi maturitatem habuit, ut ait Cicero, *in Brutò.*

Fuit autem hæc Ciceronis ætas omnium eruditissima: nam ut tot, tamque præstantes oratores omittam, Jureconfulti quoque fuerunt insignes, in his G. AQUILIUS GALLUS, L. LUCILIUS BALBUS, C. JUVENTIUS, SEPT. PAPIRIUS, auditores Q. MUTII SCÆVOLÆ Pontificis, cui & Cicero dedit operam adolescens. *Pomponius tit. de origine juris, Plutarchus in Cicerone. Cicero lib. 1. de Legibus & in Brut.*

Æqua

Æqualis autem propè Ciceronis erat P. SERVIVS SULPITIUS, qui superiorum auditor, discipulos habuit, A. Offilium, P. Alphenum Varum, Cajum, Titium Cæsium, duos Aufidios, C. Attejum Pacuvium, Flavium Priscum, Cinnam, P. Cæcilium, *De veterum Jurisconsultorum vitis extant Bernhardi Rutilii & Aymari Rivalii commentarii.*

Floruit etiam cum Sulpitiô, C. TREBATIUS, cui discipulus fuit Antistius Labeo.

Sulpitium mortuum Cicero *Philippicâ 9.* verbis amplissimis laudans, Omnes, ait, qui ex omni ætate hæc in civitate intelligentiam juris habuerunt, si unum in locum conferantur, cum Serviô Sulpitiô non sunt comparandi. Neque enim ille magis Jurisconsultus, quam Justitiæ fuit.

Ex proscriptorum numero Q. SERTORIUS restabat, vir animi robore bellique scientiâ præclarus. Is in ulteriori Hispaniâ gravissimum bellum excitavit, & devictis aliquot ducibus populi Romani, complures urbes in suam potestatem redegerat. *Livius Epitome 90. & seq. Florus lib. 3. cap. 22. Entropius lib. 6. Appianus lib. 2.*



*Plutarchus in Sertoriô & Pompejô. Orosius lib. 5. cap. 23.*

Itaque belli administratio tandem commissa fuit C.N. POMPEIO : cùmque variâ fortunâ sæpè pugnatum esset, tandem insidiosè fuit interfectus Sertorius, & Pompejus deinde decimò ferè annò post inceptū bellum, HISPANIAS recipit. [ *Ante Æram Vulgarem 71.* ] *Vellejus lib. 2 Florus lib 3. cap. 22 Livius Epit. 96 Vide literas Pompeji ad Senatum apud Salustium, item Ciceronem in Manilianâ.*

In hóc tempore NICOMEDES, Rex Bythyniæ, moriens populum Romanum instituit hæredem. ( *Livius Epit. 93.* ) Mithridates autem, Ponti rex, qui fœdus antea cum Sertori ôfecerat, in illâ Marianâ & Syllanâ factione, occupatâ Bythyniâ, maximis viribus bellum restaurat. *Appianus in Mithridaticô. Florus lib 3. cap. 5. Eutropius lib, 6. Cicero pro Murena & pro lege Maniliâ.*

In eum missus est cum exercitu L. Lucullus, qui Consul equestribus præliis feliciter rem gesit, ( *Livius Epitom. 94.* ) ac deinde Proconsul, cælò exercitu, } &  
ere:

ereptâ Bithyniâ, coëgit illum in Pontum retrocedere. [ *Ante Æram Vulgarem 72.* ] ( *Livius Epitom. 95.* ) Ibi quoque ingenti præliô victus Mithridates, ad Tigranem, Armeniæ regem, confugit, ( *Livius Epitom. 97.* ) Lucullus verò persequens & instans utriusq; copias aliquot præliis concidit, ( *Epit. 98.* ) & quò minus bellum planè conficeret, optatumque victoriæ fructum atq; laudem reportaret, in causâ fuerunt seditiones militares, callidè à nonnullis excitatæ, *Dio lib. 35. Plinius de viris illustribus. Florus. lib. 3. cap. 5. Eutropius lib. 6. Appianus in Mithridaticô. Vellejus lib. 2. Orosius lib. 6. cap. 2. & seqq. Cicero pro Archia.*

Nam paulò post revocatô Lucullô belli administratio commissa fuit Cn. Pompejo: cujus quidem rei svasor etiam fuerat M. Cicero, ( *pro L. Maniliâ,* ) quum in Pompeji laudem luculentam haberet ad populum orationem, *Livius Epit. 100. Dio 36. Appianus in Mithridaticô. Plutarchus in Pompejo.*

Lucullus revocatus triumphavit nihilo secius, & epulum splendidissimum

populo Romano dedit; *Cicero Academ. qu. libr. 4. Athenæus libr. 6.* Relictâ deinde Republicâ, domi vixit privatus in Philosophiæ studio, & amplissimam instituit Bibliothecam, in victu quotidianô splendidus & magnificus, ut antea semper. Ejus Bibliothecæ meminit *Cicero 3. de fin. seq;* eò venire solitum esse ostendit, ut libros inde promeret. *Plinius lib. 18. cap. 5. Lucullum, senem triumphantem appellat. Vellejus lib. 2. Xerxem togatum.*

Pompejus Mithridatem in fugam conjecit, longissimeq; persecutus est. Et Tigranem regem deditione cepit: quumque in suis castris illum supplicem abjectumque vidisset, erexit, ut ait *Cicero (pro Sextio)* atque insigne regium, quod ille de suo capite abjecerat, reposuit, & imperatis certis rebus regnare jussit, [*Ante Æram Vulgarem 66.*] *Lutarchus in Pompejo. Livius Epicom. 101. Florus lib. 3. cap. 6. Eutropius lib. 6. Dio lib. 36. Valer. lib. 5. cap. 1. Orosius lib. 6. cap. 3.*

Mithridates tandem obsessus à filiô suo Pharnace, mortem sibi conscivit ipse. [*Ante Æram Vulg. 63.*] *Plinius de viris illustribus.*

*Livius Epitom. 101. Diodorus lib. 37. Appianus in Mithridaticô. Eutropius lib. 6. Plinius lib. 23. cap. 5. Florus lib. 3. cap. 5. Valerius lib. 9. cap. 2. Orosius lib. 6. cap. 5.*

Cn. Pompejo magnam authoritatem conciliaverat bellum illud, quod cum PIRATIS gessit: [ *Ante Aeram Vulgarem 66.* ) quod quidem fuit antè, quàm in Mithridatem iret. Bellum hoc à Salustio in *Catilinariâ* maritimum: à Cicerone ad *Quirites*, post reditum, *Piraticum* nominatum, describit Dio lib. 36. Florus lib. 3. cap. 6. Appianus in *Mithridaticô*. Plutarchus in *Pompejô*. Livius *Epit. 99. Vellejus lib. 1. Eutropius lib. 6. cap. 5.* Cicero pro lege *Maniliâ*. Lucanus 1. *Pharsal.*

*Et victis cedat piratica laurea Gallis,*

*Magnetis. — — — —*

Eô sedatô bellô, mox aliud incendium civile ortum est, (*Cicero in Catilinariis.*) Nam L. CATILINA, cum aliis multis, in perniciem Reipublicæ conjuraverat: Verùm singulari CICERONIS industriâ, qui tùm CONSUL erat, patefactô scelere, pulsus urbe, cum copias in Hetruriâ & manus perditorum hominum coëgisset,

à C. ANTONIO consule, Ciceronis collegâ,  
 præliò victus occubuit. [ *Ante Æram, Vul-*  
*garem 67.* ] *Livius Epit. 102. Florus lib. 4. cap.*  
*1. Vellejus lib 2. Appianus lib. 2. de bellò civili.*  
*Entropius lib 6. Salsustius in Catilinar. Dio*  
*lib. 37. Bellum Catilinarium luculenter descri-*  
*psit Constantinus Felicius Durantius.*

Operam, quam tum Reipublicæ præ-  
 stitit, Cicero ( *pro Sylla. in Pisone, Agraria 2.* )  
 passim in suis scriptis prædicat, & non mo-  
 dò tunc visas nocturno tempore faces, ar-  
 doremque cœli fulgurumque igne, & terræ  
 motus extitisse dicit, ( *5. Catilinariâ* ) verum  
 etiam illa prodigia, quæ L. Cottâ & Tor-  
 quatô consulibus, annis duobus ante ipsum  
 Consulem acciderant, huc accomodat,  
 quando complures in Capitolio turre per-  
 cussæ, & simulacra deorum depulsa, & sta-  
 tuæ veterum hominum dejectæ, & legum  
 æra liqvefacta fuerunt, tactus etiam, qui  
 Romam urbem condidit, Romulus, parvur-  
 lus atque lactens, & uberibus lupinis inhi-  
 ans. *Eâdem prodigia Cicero in secundo de*  
*consulatu, Uraniam Musam narrantem fe-*  
*cit*



cit. versibus elegantissimis, qui extant lib. 1. de  
Divinatione. De iisdem obsequens.

*Catilina naturam & inge-  
nium Cicero (pro Caelio) describens,  
nunquam ait, fuisse tale mon-  
strum in terris ullum, tam ex  
contrariis diversisque inter se  
repugnantibus natura studiis  
cupiditatibusque conflatum.*  
*Libidinis ejus meminit Valerius lib. 5. cap. 1.*  
*Videatur Portius Latro in declamatione  
suâ in Catilinam, Suidas in voce L. Sergius  
Catilina.*

Cicerone Consule, natus est C. OCTA-  
VIUS, [Ante Æram Vulgarem 61.] & Judæa  
Romanis facta stipendiaria cum HIEROSO-  
LYMAM CN. POMPEIUS EXPUGNASSET.  
[Anno eodem, die 4. Julii, feria 7.] Velle-  
jus lib. 2. Svetonius in Augusto, Gellius libr. 15.  
cap. 7. De Hierosolymâ expugnatâ à Pom-  
pojô, legatur Josephus, lib. 14. cap. 8. En-  
tropius lib. 6. Orosius lib. 6. cap. 6. Tacitum

*historiar. lib. 5. Dio lib. 37. Augustinus de Civitate Dei lib. 18. cap. 45.*

Quintò post annò L. Pisone, A. Gabiniò, consulis, [ *Ante Æram Vulgarem 58.* ] HELVETII sedes mutarunt, & maximis cum copiis, per provinciam Galliam, constituerunt in reliquam Galliam penetrare, & ibi propter agri fertilitatem confidere. *Livius Epit. 103. & seqq. Florus lib. 5. cap. 10. Strabo lib. 4. Eutropius lib. 6. Vellejus lib. 2. Cesar lib. 1. de bello Gall. Svetonius in Juliò. Orosius lib. 6. cap. 7. & seqq. Dio lib. 38. Plutarchus in Cesare.*

Quò Cognitò, C. JULIUS CÆSAR, sex annis natus minor Cicerone, collectò exercitu, quod ei provinciam Senatus attribuisset, profectus illuc, & commissò præliò fudit hostem: post etiam ARIOVISTUM, Germanorum regem, qui Galliam Celticam, imprimis autem Heduos, populi Romani socios, oppresserat, non procul à Rhenò debellavit, Vesontione, Sequanorum oppidò, profectus, omnem deinde GALLIAM in ditionem populi Romani perduxit, simul trajectò mari BRITANNIAM devicit. *Contrarium*

*rium Pompejus apud Lucanum libr. 2. de Cæsare asserit:*

*Rheni gelidis quod fugit ab undis,  
Oceanumque vocans incerti stagna profundi,  
Tertia quaesitis ostendit terga Britannis.*

Ex Britannia Cæsarem ad se dedisse literas, ait Cicero (*ad Q. Fratrem, lib. 3. Epistolâ 1.*) Calendis Septembris, quas ipse post acceperit ad quartum Calendas Octobris.

Cum in Galliam Cæsar iret, Cicero vexatus à P. Clodio, Tribunò plebis, in exilium decessit, [*Ante Æram Vulgarem 58.*] Dio libr. 38 Vellejus lib. 2. Plutarchus in Cicer. oratione primè habità ad populum & equites, quâ suos liberos atq; familiã illis commendat. Oratio ad populum & equites habità, quæ sub nomine Ciceronis extat, inelegans est, inconcinna, insulsa atque inepta, denique vix latina, itaq; eam Ciceroni qui adscribunt, eadem operâ regi opulento vestem aliquam crassò filò tritam & laceratam circumdant. Dionys. Gothofred.

Revocatus autem aliquot post mensibus [*Ante Æram Vulgarem 57.*] à Senatu maximâ cum populi gratulatione, alteram

habuit orationem ad Quirites, quâ gratias agit amicis. *Vide Ciceronis vitam à Francisco Fabriciò descriptam, Orationes in L. Pisonem & de provinciis consularibus.*

Causam exilii post contulit in L. PISONEM, A. GABINIUM, Consules ab iisque proditum sese demonstrat, habitis orationibus in utrumque, quarum in alterâ Senatui iuradet, ut provincias illis adimant, Syriam ac Macedoniam, & ne C. Cæsarem, felicissimè belligerantem in Galliis, revocent, sed ut imperium ei proferant, quò planè bellum conficiat.

*Pisonem & Gabinium Cass. suis coloribus multis in locis depinxit Cicero in Ora. ad Quirites post reditum: in Pisonem: pro domo: pro Sextiò: in Vatinius: de provinciis consularibus &c.*

Interea Ptolomæus Auletes, Ægypti rex, propter ignaviam & crudelitatem, segnè pulsus, Romam venit, & persuasus à Cn. Pompejò Senatus, per A. Gabinium restituit illum, [ *Ante Bram Vulgarem ss.* ] Archelaò pulsò, qui de populi voluntate regnabat. *Livius Epit. 105. Dio lib. 39.*

Strabo libr. 12. & 17. Plutarchus in Pompejô.

GABINIUS fuit damnatus tandem, ut in ærarium inferret decem millia talenta, vel, ut quidam nostri homines rationem putant, sexagies centena millia, (*Budeus de asse lib. 3. Matth. Hostus rei num lib. 2.*) quòd tantam summam à Ptolomæo accepisset. *Dio lib. 39 Valerius lib. 4, cap. 2. Cicero pro C. Rabirio. Strabo, lib. 17.*

M etiam CRASSUS, cui Parthicum bellum fuit decretum, Euphrate transmissò, victus, in colloquio deinde perfidè fuit interceptus. [*Ance Æram vulgaris, 3 L. VIUS Epit. 1. 6. Dio lib. 40. Justinus lib. 42. Vellejus lib. 2. Florus lib. 3, cap 9. Eutropius lib. 6. Orosius lib 6. cap. 13. Appianus in Parthicis. Plinius lib. 33 cap 10. Plutarchus in Crasso. Cicero 1. & 2. de divinac. ad Att. lib. 4. Epist 12. Ovidius 6. Fastorum. Festus Rufus in compendiò,*

Hic est ille, qui dicere solebat, neminem esse divitem, nisi qui exercitum alere posset suis fructibus. *Vide Ciceronis paradoxon ultimum. Offic. lib 1. Plinius lib. 33. cap, 10. Item Dionem lib, 40. in*



*histor. Crass. Exercitus autem constat legionibus quatuor, teste Paulô Manutiô.*

Per hoc quoque tempus [ *Ante Æram Vulgarem 53.* ] fuit occisus à T. Annio Milone P. Clodius; Milonem Cicerò defendit, Cn. Pompejô III. & solùm consulè: sed ille tamen iussus est exulare. ( *Ante Æram Vulgarem 52.* ) *Dio lib. 40. Asconius Pedianus in argumentô Miloniane, Cicero ad art. lib. 9. Epist. 18. Vellejus lib. 2.*

Confectò bellô Gallicô, quod fuit octavô circiter annô, ( *Cæsar lib. 1. de bello civili,* ) **BELLUM** est natum **CIVILE C. CÆSARIS**, cuni **CN. POMPEJO** generô. Causa erat belli, quod Cæsar à consulatu repudiaretur, ni dimitteret prius copias, & provinciam traderet: illi verò persuasum erat, se salvum esse non posse, si ab exercitu recederet: ferebat tamen eam conditionem, ut tum ipse, tum Pompejus traderent exercitus, cùmque id repudiaretur, progressus incredibili celeritate cum copiis, è Galliâ venit in Italiam, & Flaminiam ingressus, oppida quàm plurima, partim gratiâ, partim deditione capit. *De bellô Civili inter Pompejum & Cæsarem*

rem gestó legatur Livius Epit. 110. & seqq, Plu-  
 tarchus in vitis. Dio lib. 41. Florus lib. 4. cap. 2.  
 Eutropius lib. 6. Orosius lib. 6. cap. 15. Ap-  
 pianus de belló civiti. Lucanus in Pharsaliá.  
 Cicero in Epistolis ad Atticum.

Eâ re cognitâ, Pompejus & ambo consu-  
 les, C. Marcellus & L. Lentulus Româ fu-  
 giunt, & Brundusium, Apuliæ oppidum  
 maritimum, petunt. (Cicero lib. 16. Epist. 11.  
 ad famil.) Eò venit etiam Cæsar, sed jam  
 Consules, trajectô mari, Dyrrhachium  
 iverant, neque multò post insequitur eos  
 Pompejus, (Cicero ad Atticum, lib. 9. Epist. 2.)  
 & cum Cæsar, tempore exclusus, quòd clas-  
 sem idoneam non haberet, illum persequi  
 non posset, Romam venit, [Ante Æram Vul-  
 gare 49.] & convocatô Senatu, de injuriis  
 queritur, ac simul pacis conditiones pro-  
 ponit: (Cæsar lib. 1. de belló civili) cumq; re-  
 missius ageretur à Senatu, Masiliam petit,  
 quæ portas illi clausit. Itaque comparatâ  
 classe, terrâ marique illam obsidet, & reli-  
 ctis ibi legatis, in Hispaniam proficiscitur.  
 Ibi PETREIUM, & AFRANIUM, Pompejanos  
 duces, totumque exercitum deditione  
 tan-

tandem capit. *Eutropius lib. 6. Orosius lib. 6. cap. 15.*

Post Massiliam redit, (*Cæsar lib. 2.*) quæ tum primum, desperatis rebus omnibus, in potestatem illius se permisit, & absens à M. LEPIDO Prætorè Dictator factus, Romam venit, comitia habet, & Consul creatur cum P. Serviliò Isauricò: deinde, rebus in urbe constitutis, in Græciam transmittit, ac tandem in Thessaliâ Pompejum maximò præliò vincit, [*Ante Æram Vulgarem 48.*] copiis multò superiorem, & castris exiit. *Plutarchus in Brutò, mediâ æstate hoc factum scribit Cæsar dicitur fugiente hoste suis acclamasse: Parce miles civibus. Florus lib. 4 cap. 2.*

Pompejus fugiens, Ægyptum petit. *Cæsar lib. 3.* Erat tum Ægypti rex PTOLOMÆUS DIONYSIUS, Ptolomæi Auletæ filius, quem expulsam regnò, Pompejus Consul per A. Gabinium reduxerat, ut supra (*pag 108.*) diximus. Propter hoc beneficium sperabat opem atque tutelam in eâ regione: *Cæsar lib. 2. de bellò civil.* Rex autem erat ætate puer, ejusque familiares, vel  
quòd

quòd fortunam Pompeji dispicerent, vel quòd motum aliquem metuerent, insidiosè illum interficiunt. [ *Ante Atram Vulgarem 48* ] Cæsar fugientem persecutus, Alexandriam pervenit cum tribus millibus hominum & ducentis, atq; ibi primum de morte Pompeji cognoscit. *De Pompeji fugâ & interitu Cæsar lib. 3. Livius Epit. 112. Plutarchus in Pompejò, Appianus lib. 2, Dio 42. Vellejus lib. 2. Florus lib. 4. cap. 2. Eutropius lib. 6 Orosius lib. 6. cap. 15. Lucanus lib. 8. Meminit Cicero 2. de Divinat. & lib. 3. Tuscul.*

Cicero ( *Philippicâ 13.* ) judicans de utròque proximò bellò , inquit, *Si aliquid de summâ gravitate Pompejis, multum de cupiditate Cæsar dimisisset, & pacem stabilem, & aliquam Rempublicam nobis habere licuisset.*

Gerebat tunc bellum Ægypti Rex cum Sorore CLEOPATRA. *Dio 40.* Cæsar itaq; cùm esset Alexandriæ, voluit de con-  
tro-

troverſiſ jure potiùs apud ſe , quàm armis inter ipſos diſceptari , eò quòd Conſul eſſet populi Romani , & quòd , ſuperioribus annis , cum Ptolomæo , patre regis , lege & Senatus conſultò ſocietas facta erat : Hoc ipſum verò indigniſſimè ferebant præfecti , quærentes majeſtatem regiam minui , quòd ad dicendam cauſam evocaretur. (*Cæſar librò de bellò civili.*) Concitatis ergo animis , bellum adverſus Cæſarem moliuntur , ſed ille poſt magna pericula victor , extinctò Rege , non quidem redegit Ægyptum in provinciæ formam , ſed Cleopatrz ejusque fratri minori regnum permiſit. [*Anto- Eram Vulgarem 47.*] *Plutarchus. Strabo lib. 17. Hirtius de bellò Alexandrinò. Oroſius lib. 6. cap. 16.*

Inde profeſtus in Syriam , ac poſt in Pontum , PHARNACEM Regem , Mithridatis filium , proſſigat , Cappadociam , Armeniam , Gallogræciam , Pontum & Bithyniam pacat. *Hirtius de bellò Alexandrinò. Livius Epit. 113. Diogenes lib. 42. Oroſius lib. 6 cap. 15. Eutropius lib. 6. Svetonius in Julio , cap. 35. Florus lib. 4. cap. 20.*



In Italiam ac Romam deinde reversus, [Eodem annò 47. Ante Æram Vulg.] mediâ post hyeme, & ad Solstitium hybernum, ex Lilybæo trajicit in Aphricam, licet à fumò aruspice monitus esset, ne ante brumam transmitteret. (Cicero 2. de divin.

Eò confugerant à pugnâ Pharfalicâ SCIPIO & CATO, M. Portii Catonis pronepos, magnisque contractis copiis, JUBAM regem sibi confociaverant. Profectus igitur eò Cæsar ad interneccionem omnes delevit. [Ante Æram Vulgarem 46.] Appianus lib. 2. Dio lib. 43. Florus lib 4. cap. 2. Hirtius de bellò Africanò. Suetonius in Juliò, cap. 3. Orosius lib. 6. cap. 16. Eutropius lib 6. Seneca lib. 3. Epistolarum.

Et Cato quidem, ne in illius potestatem veniret, Uticæ mortem sibi conscivit, ipse, quod quidem Cicero (1. Officiorum) defendit, & cui incredibilem quandam natura gravitatem dedisset, ei potius hoc faciendum fuisse dicit, quàm tyranni vultus aspiciendus. De Catonis Uticensis interitu legatur Livius Epit. 114. Plutarchus in vitâ Catonis Appianus lib. 2. de bellò  
civi-

civili, *Hirtius lib. 5, Seneca Epist. 25, Valerius Maximus lib 3 cap 2, Florus lib. 4. cap. 2. Cicero 1. Offic & 1, Tuscul 4. de Finibus lib. 9. Epist. ad Pætum. Lactantius lib. 3, cap. 18. Gellius lib. 13. cap. 18. Dio lib. 43. Horatius lib. 1. Ode 12. lib. 2. Ode 1. Augustinus lib. 1. de civitate Dei, cap. 23, De illis autem, qui seipfos interficiunt, legatur Cicero Tuscul. quest. lib. 1. & in somniò Scipionis, & Joseph. lib. 3. cap. 14. belli Judaici. Augustinus de civitate Dei, lib. 1. cap. 22. Sextus Pompejus lib. 3. de verborum significationibus in voce Carnificis.*

Erat Stoicæ ( *De Stoicis videatur Diogenes Laërtius lib. 7.* ) Disciplinæ Cato, & sententias horridiores nonnunquam in senatu defendebat, tanquam in Platonis versaretur politiâ, sicut ait Cicero, ( *lib. 2. ad Att. Epist. 1.* ) non tanquam in Romuli fece. *De moribus Catonis videatur Lucanus lib. 2. Vellejus lib 1. Salustius in Catilinariâ. Augustinus lib. 5. cap. 51. Civitatis Dei scribit, Catonem à Pompejò, tanquam belli civilis heredem, relictum esse.*

Romam postea Cæsar venit: cumque de Galliâ, Ægyptò, Pontò & Africâ

triumphasset, adversus SEXTUM POMPEIUM, bellum suscepit, in Hispaniam profectus, eumq; debellavit. *Livius Epit. 115. Dio lib. 47. Hirtius de bello Hispaniensi. Suetonius in Julio, cap. 35. Orosius lib. 6. cap. 6. Eutropius lib. 6.*

Itaque devictis omnibus adversariis, & longè latèqve pacatis populis, in urbem rediit annò quintò, (mense Octobr. Eò tempore annum ordinavit, ut nunc est, operà Sostigenis Mathematici, quem ex Alexandria Romam duxit,) post inceptum bellum civile, & cum de Hispaniâ triumphasset, Dictatoris quoque nomen atq; potestatem, sibi delatam, perpetuò sumeret, ac Senatum pro suo constitueret arbitratu, reliquos etiam honores ac munera publica propè solus elargiretur, ac quibus vellet, distribueret, in odia plurimorum incurrit.

Mutatò igitur Reipublicæ Statu, & ad minus principatum redactâ summâ rerum, conjurationes in eum factæ, tandem exarserunt, & quintò post mense, quum Romam venisset, [Ante Atram Vulgarem 44.] in curiâ Pompeji, fuit Idibus Martiis interfectus, (Plutarchus in Cesar.

*Florus lib. 4 c. 4. Svetonius in Julio. Dio lib. 44. Orosius lib. 6 cap. 17. Zonaras tomo 2.*) ab iis ipsis, quos recenti beneficio sibi devinxerat, quibusque ignoverat, quod bello Pompejanò contra ipsum militassent. Hi erant M. & D. BRUTUS, C. CASSIUS, C. N. DOMITIUS, C. TREBONIUS, Q. TULLIUS CIMBER, duo SERVILII, CASCA, HALA, & complures alii *Appianus lib. 2.*

Ciceronem quoque M. Antonius Consul, collega Cæsaris, ut conscium cædis, ad Senatum coarguit, *Philippicâ 2* quod interfecit Cæsarem, statim cruentum altè extollens M. Brutus pugionem, ipsum nominatim exclamasset, atque ei recuperatam libertatem esset gratulatus.

Tradunt nonnulli, C. Cæsarem Græcis verbis affatum esse M. Brutum irruentem, & appellasse filium: (*Svetonius in Julio, cap. 28. Dio 44*) id quomodo accipiant illi, nescio. Hoc quidem ex Cicerone constat, Brutum annis quindecim fuisse natum minorem illò. *Serviliam, M. Bruti matrem, à Cæsare unicè dilectam, & amplissimis muneribus donatam, auctor est Svetonius in Julio, cap. 50.*

LEGES aliquot tulit, partim Consul, partim Dictator, quæ propter ipsum JULIÆ dicuntur: *Agraria, de Judiciis, de Vi Majestatis, Repetundarū, de Sacerdotiis, de fœnore. Vide Hottomannum.*

Sunt aliæ quædam ejus nominis, verum ab Octaviô latae.

Clementiam Cæsari tribuunt omnes: Cicero (*Philipp 2.*) etiam ingenium, acumen, rationem, memoriam, literaturam, cogitationem, diligentiam: sed ejus dominatum ægerrimè tulit, occultè tamen, & in quâdam ad Atticum Epistolâ, *intelliges, inquit, id regnum vix semestrem esse posse. Ad Atticum lib. 10. Epist 7.*

Fuit autem in hac totâ causâ Cicero valdè lubricus, & inconstans: nam in bellô secutus est partes atque castra Pompeji, licet ipsius animi dejectionem atque negligentiam reprehenderet, & in epistolis ad amicos, *C. Cæsarem belligerantem vocabat tyrannum atque monstrum*



*strum. Ad Atticum lib. 8. Epist. 3. & 9. Sed hoc τέρμας horribili vigilantia, celeritate, diligentia est item lib. 7. p. 19 & 20. lib. 10. Epist. 4. ad Atticum.*

Profligatō autē & extinctō Pompejō, quum Cæsar multis ignosceret, stylum vertit, & tribus habitis orationibus ad cælum usque laudibus eum efferebat; (*Cicerō pro Ligariō, Marcellō, Deiotarō*) Cūqve sibi fieri Cæsar infidias audisset, seque fatis vixisse nonnunquam diceret, ille deprecatur, & orat, ut hanc opinionem deponat: Nam etsi gloriā sit cumulatisimus, ideoq; sibi quidem fatis vixerit, non tamen fatis vixisse Reipublicæ, quæ præfidiō carere non possit ipsius atque tutelā. De periculō non esse quod sit sollicitus: Nam omnes inquit (*Cicero pro Marcō Marcellō*) tibi non modo excubias & custodias, sed etiam laterum nostrorum oppositus & corporum pollicemur.


A nece verò Cæsaris mirum in modum exultabat, (*Philippicā. 2.*) & qui illum occidissent, eam gloriam consecutos esse dicebat, quæ vix cælo capi posse videretur.

tur, libro 9. Epistolarum ad familiar. Ep. 28.  
*eadem Caesaris vocat divinum in  
 Rempublicam beneficium.*

Hæc est igitur QUARTA & postrema  
 MONARCHIA, quò quidem in locò notan-  
 dum est, quomodo ex minimis initiis pau-  
 latim ad summam potentiam creverit ea  
 civitas, quæ à pastoribus condita, domina  
 tandem evasit orbis terrarum. De victoriis  
 populi Romani sic scribit Cicero lib. 3. in Ver-  
 rem: *Lugent omnes provincie, queruntur o-  
 mnes liberi populi: regna denique iam de no-  
 stris cupiditatibus ac injuriis expostulant. Lo-  
 cus inter Oceanum nullus est, neque tam lon-  
 ginquus, neque tam reconditus, quò non per  
 hæc tempora nostrorum hominum libido ini-  
 quitasque pervaserit.*

Nunc deinceps breviter, quantum li-  
 cebit, exponam, quemadmodum ab illò  
 rerum fastigiò, sensim postea de-  
 clinarit ad interitum.

FINIS LIBRI PRIMI.



JOHANNIS SLEIDANI,

De

QUATUOR SUM-  
MIS IMPERIIS,

LIBER II.



Cæsare interfecto, C. OCTAVIUS, qui Cæsaris fororis erat nepos, traductis ad se legionibus, acerbissime persecutus est illius percussores. *Dio lib. 46. Livius Epit. 120. Appianus de bellô civili lib. 3. Vellejus lib. 2. Suetonius.*

Et quum initio pro Republicâ videretur in M. Antonium arma sumere, tandem partitus Imperium cum illô & M. Lepidô, TRIUMVIRATUM instituit, [ *Ante Ær. Vulg. 43.* ] in quô M. Cicero, qui vehementer

Antonium oppugnaverat (*Philippicis suis*) trucidatus ab eò fuit, [*Eodem anno 43. ante Æram Vulg.*] natus annos LXIII. cum ante annos octo mortem obiisset Q. Hortensius, totidem annis natu major illò, sicut suprà (*pag. 91.*) dictum est. *De morte Ciceronis tradit Appianus lib. 4. Livius Epit. 120. Florus lib. 4. cap. 5. Plutarchus in vitâ. Dio lib. 47. Eutropius lib. 7. Vellejus lib. 2. Valerius lib. 1. cap. 4. & lib. 5. cap. 3. Orosius lib. 6. cap. 8.*

Ciceronem planè fefellerunt sua consilia: cum enim à morte C. Cæsaris Rempubli-  
cam perturbaret ANTONIUS, C. Octavium,  
Cæsaris propinqum, viginti annorum a-  
dolescentem, miris laudibus Senatui Cice-  
ro (*Philippicâs.*) commendabat, & svadere  
cœpit, ut non habitâ illius ætatis ratione  
crearetur Consul, adductis ex veteri memo-  
riâ multis exemplis, quamobrem id fieri  
posset, refutatis etiam iis, quæ metuenda  
videbantur, fidem suam obligare se profite-  
batur Senatui, semper illum talem fore ci-  
vem. qualis tum esset, qualemq; eum maxi-  
mè velle & optare deberent. Sed post ab il-  
lò destitutus, in Antonii manus devenit.

M. Brutus etiam graviter eum reprehendit, quòd illi sic adularetur. *In lib. Epistolarum ad Brutum, Epistolâ 16. cui initium: Particularis.*

Cæterùm in æmulatione Imperii, natis, uti fieri solet, (*Sextus Aurelius: Imperia difficile concordiam, custodiunt, Dio lib. 49. Appianus lib. 5.*) offensionibus, cùm propter conjurationem in Octavium, triumviratum jam antea [*Ante Æram Vulgarem 36.*] motus esset, & relegatus M. LEPIDUS; bellum in ANTONIUM, alterum collegam, suscepit Octavius & ipsum atq; CLEOPATRAM, de qua supra (*pag. 113.*) diximus, post Actiacam victoriam [*Ante Æram Vulgarem 31.*] expugnavit ad Alexandriam, & ad mortem sibi ipsis inferendam, adegit, (*Ante Æram Vulgarem 30.*) & ÆGYPTUM populi Romani provinciam fecit, *Dio lib. 50. & 51. Florus l. 4. c. 11. Vellejus l. 2. Plutarchus. Eutropius l. 7. Orosius l. 6. c. 19. Virgilius l. 8. Horatius in Epod. Ode 9. Propert. l. 3. Elegia 9. Item l. 4. Elegia 6. Svetonius in Augustò, cap. 6.*

Tradunt authores (*Strabo lib. 17. ex Cicerone. Budens de asse, lib. 4. Matth. Hostius*



*Hostus rei num. lib. 7.)* Ægypti fructus annuos fuisse, Ptolomæo Aulete regnante, duodecim millia quingenta talenta: hanc summam nostri temporis viri docti redigunt ad septuagies & quinquies centena coronatorum aureorum millia. Cum autem in populi Romani deditioem venisset, multo putant fuisse fructuosiore, propter Indiæ & Æthiopiæ commercia. *At Diodorus Siculus, qui, ut ipse testatur, eodem Ptolomæo regnante in Ægyptum ivit, longè à Cicerone dissendit, reditum enim Ægypti fuisse dicit tantum lxx. c. lxx. talentorum. Isaacus*

De victo & sublato Antoniò solus per annos XLIV. Rempublicam gessit Octavius, & ipsius Imperii annò XXIX, conditæ autem urbis ter millesimo nongentesimo quinquagesimo quarto, sicut plerique numerant, [ *Reverà ante Æram Vulgarem annò 2. ita, ut primus annus Æræ Vulgaris inierit cum tertiò annò, à Nativitate CHRISTI numerandò* ] natus est Salvator noster JESUS CHRISTUS, quum ante septem annos HERODES,

cognomentô MAGNUS, templum Hierosolymæ dirutum reædificâset magnificentissimè. [*Incepit edificare templum ante Æram Vulgarem 19. & templum exterius ab- solvit octo annorum spatiô, ante Æram Vulgarem 11.*] *Joseph, Antiq. lib. 16. cap. 14. de bellô Judaicô lib. 1. cap. 10.*

M. Antonius habebat in matrimonio, C. Octavii sororem, (*Vellejus lib. 2.*) sed amore captus Cleopatrx, cum Asiam peragraret, illâ desertâ, duxit hanc uxorem, eaqve res partim etiam belli causam dedit, *[Ante Æram Vulgarem 32.] Dio lib. 50.* Summus autem et avultusque iuans, deque convivii illorum atque deliciis & voluptatibus incredibilia ferè prodiderunt authores: verum is, quem dixi, fuit ipsorum exitus, vitæque finis. *Plutarchus in Antoniô. Plinius lib. 9. cap. 25. Macrobius lib. 3. cap. 17.*

M. Antonius erat M. Antonii, de quo supra (*pag. 98.*) dictum est, Oratoris clarissimi, nepos.

C. Octaviô regnante, populi Romani exercitus omnium primò bellum GER-  
MA-

MANIÆ fecit, in ipsorum finibus. [*Ante Æram Vulgarem II.*]

C. Julius Cæsar bis quidem profligavit Germanos, verum in Galliis nempe Ariovistum in Celtis, (*Livius de bellô Gallicô. Scilicet non procul à Rheno.*) & deinde ad Mosæ confluentem atque Rheni: post eam victoriam, extructô ponte, Rhenum transit, sed paucis diebus ibi commoratus, exercitum in Galliam reduxit, pontemque rescidit. *Cæsar. lib. 4.*

Bienniô deinde post, rursus ponte Rhenum transmisit. (*lib. 6. belli Gallici*) paulò supra eum locum, quo antea exercituum traiecerat, ac tum planè constituit in Svevos (*qui in Saxonie parte habitabant ultimâ, ubi nunc est Pomerania,*) proficisci. Verum per exploratores certior factus de rebus omnibus, & difficultatem veritus, inopiamque commeatus, in Galliam se recepit, partem aliquam pontis rescidit, & in alterâ parte turrim atque castellum constituit, præfidiisque firmavit, ne sui reditus metum hostibus omninò tolleret. *Dio lib. 39. & 40. Plutarchus in Cæsare. Orosius lib. 6. cap. 9.*

Et hæc quidem solum aduersum Germanos gessit C. Cæsar, sicut ipse commemorat; (l. 4. & 6. de bellô Gallicô. Svetonius in Augusto, c. 21. in Tiberiô, cap. 9. Florus l. 4. c. 12. Horatius l. 4. Od. 14.) Verum Octavius per Tiberium atqve Drusum fratres, bellum RHOETIS intulit, atqve VINDELICIS: & ex UBIIS, populi Romani sociis, eam Germaniæ partem, quæ WESTPHALIA dicitur, invasit, duce QUINTILIO VARO: sed hunc ad internecionem probè concidit Cheruscorum dux ARMINIUS, inter Amisiam flumen & Luppiam. [Annô Ære Vulganis 10.] Eius morte gravissimè perturbatum Virgilium, Horatius (Ode 24. lib. 1.) carmine pulcherrimô consolatur. Cladis Varinæ historiam habent Florus lib. 4. cap. 12. Svetonius in Augusto, cap. 23. Vellejus lib. 2. Sexus Aurelius Victor. Dio 56. Tacitus Annal. lib. 1. & lib. de moribus German. Orosius lib. 6. cap. 21. Zonaras tomo 2. De loco editæ hujus stragis recentiores dissentiunt: Orho Frisingensis & Abbas Urspergensis, quiqve hos sequuntur, Picus in Staurosticho, Nauclerus volum. 2. generat. 43.

Huttenus propè Augustam Vindelicorum pugnatum scribunt. Æneas Sylvius colloecat pugnam ad Moguntiam. Mutius lib. 3. propè Francofurtum Mœni. Aventinus in Westphalia vel propè Duisburgam commissum prælium affirmat, l. 2. Vestigia verò & monumenta indubitata in agro Lippiensis comitatus supersunt.

DRUSUS in Germaniâ periit, relictis filiis Germanicô, virô præstantissimô, & Claudiô. Dio lib. 55. Svetonius in Tiberiô cap. 8. Ovidius ad Liviam, lib. 4.

Celebrat eum Horatius (lib. 4. Ode 4.) doctissimâ, sicut antè quoque diximus, & stirpem ipsius refert ad C. CLAUDIUM NERONEM, qui consul cum M. Liviô Salinatore, II. [Ante Æram Vulgarem 207.] fratrem Annibalis. Asdrubalem, novas adducentem copias, ad Mataurum flumen concidit.

CANTABROS (populum Hispanie) prætereâ domuit Augustus, & AQUITANOS, & PANNONIOS, & DALMATAS, & ILLYRICOS, & SALASSIOS, Alpium incolas. Svetonius in Augustô, cap. 22. Dio lib. 54. Eutropius lib. 7. Orosius lib. 6. cap. 21. Florus 4. 12.



De deponendâ quidem Imperii mole dicitur cogitâsse non semel, sed cùm invicem reputaret, & se privatum non sine periculô futurum, & illam arbitrio multorum temerè committi, sententiam mutavit. *Svetonius cap. 28. Dio lib. 52. Donatus in vitâ Virgilii. Zonaras tom. 2. Josephus Antiq. Jud. lib. 17. cap. 10.*

Regni ipsius annô XXXIII. HERODES MAGNUS, quem M. Antonius, & ipse, tertio triumviratus annô, [*Ante Æram Vulg. 40.*] Judææ Regem constituerant, mortuus est, [*Ante Ær. Vulg. 1.*] & octavo post annô, filius ejus atque successor ARCHELAUS, relegatus fuit in exilium, Viennam, Galliæ oppidum. [*Annô Æræ Vulg. 7.*] *Zonaras tomo 1. Josephus Antiq. Judaic. lib. 17. cap. 19. & de bellô Judaicô, lib. 2. cap. 6.*

Ad provinciarum Imperii tutelam legiones aluisse scribitur Octavius XLIV. & in Ægyptô quidem ternas, in Hispaniâ totidem, per Germaniam octonas: *Orosius lib. 5. cap. 20. Dio & Tacitus.* Quantus autem fuerit ejus rei sumptus annuus, nonnulli rationem inierunt, & ad centies

ties atq; vicies centena coronatorum aureorum millia ponunt, sic, ut in singulas legiones annua ducenta septuaginta duo distribuant aureorum millia. *De legionibus Romanorum, earumque stipendiis, consule Dionem lib. 55 Tacitum lib. 4. Annal. De stipendiis militum videatur Tacitus lib. 1. Præter hos legatur Budaus de Assse lib. 3.*

Legionem verò sex millibus peditum censent, eq vitibus quingentis. *Vide Flavium Vegelium de re militari, lib. 2. cap. 6. Modestinum de vocabulis rei militaris. Isidorum Etymolog. lib. 9. cap. 3. Suidam in voce λεγεων.*

In Octaviò valdè prædicatur studium & liberalitas erga viros doctrinâ præstantes. Erant tunc præcipui nominis Poëtæ, VARIUS, VIRGILIUS, PLOTIUS, VALGIUS, FUSCUS, duo VISCI, POLLIO, MESSALA, BIBULI, SERVIUS, FURNIUS, HORATIUS, qui sua scripta cupit illis probari, minimè sollicitus, quid alii sentiant. *Horatius lib. 1. Satyra 10.*

Cæterùm inde à M. Portiò Catone & Africaniò majore, ad hoc usque tempus,

perpetuâ quâdam serie clarissima Romæ floruerunt ingenia, ( lege Hadriani Cardinalis præfati nem in librum de sermone Latinô, ) sed hoc Augusti seculum ferè postremum est, quod nativum illum Latinæ linguæ succum & sanguinem incorruptum retinuit. Nam deinceps paulatim magis atq; magis fuit sermo vitiatus, donec in meram degeneravit barbariem, quæ ad hanc nostram usque memoriam adhæsit.

Cordubæ natos Poëtas pingve quiddam sonare Tullius ( *pro Archiâ. Repetit hoc Seneca suasoriâ sextâ* ) ait & peregrinum: quid de illis iudicaturum fuisse Putamus, qui centum & amplius post annis vixerunt, non cordubæ nati solùm & educati, sed etiam Romæ?

Cæterùm, TIBERIUS, Octavii Augusti privignus & gener & filius adoptivus admodum invitus, ut quidem præ se ferebat, & vix tandem exoratus à supplicante Senaru, principatum suscepit. [ *Annô. Æræ Vulgaris 14.* ] ( *Tacitus 1. Annal. Svetonius in Tiberio, cap. 24. Aurelius.* ) Et initio quidem nihil solus agebat, deqve rebus omni-

omnibus, quæ alicujus essent momenti, cum Senatu communicabat, sed paulò post, Reipublicæ curâ planè depositâ, totum se voluptatibus tradidit. *Svetonius in Tiberiô, cap. 41. & seqq. Eutropius lib. 7. Tacitus Annual. lib. 5. Dio lib. 57.*

Eô regnante, ARMENIAM Parthi occupârunt, MOESIAM Daci & Sarmatæ. *Svetonius cap. 41.*

GALLIAM vastabant Germani : sed his incommodis nihil ipse movebatur. *Sextus Aurelius.*

Ejus regni annò decimò qvintò [ *Anno Æræ Vulgaris 29.* ] CHRISTUM servatorem nostrum esse crucifixum, nonnulli tradunt, & magni quidem in re Theologicâ viri : sed eodem annò Lucas (*cap. 3.*) baptisatum esse scribit à Johanne. *Augustinus mortem CHRISTI collocat in consulatum Rubellii Gemmi & Fusii Gemini, de civitate Dei, lib. 18. cap. 45. Idem sentit Lactantius lib. 4. cap. 10. & Tertullianus contra Judæos Constat autem hoc 15. annò Tiberii Magistratum obtinuisse. Vide præterea Alciatum lib. 5. cap. 11. pareygon.*



Floruerunt tunc M. Cocceus NERVA, pater & filius, CASSIUS LONGINUS. Jureconfulti. *Tacitus Annal. lib. 5. Svetonius in Nerone. c. 37.*

Tiberii pater fuit Tiberius Nero, qui C. Cæsari bellô militârat Alexandrinô. *Svetonius cap. 4.*

Successit ei [ *Annô Æræ Vulgaris 37.* ]

C. CÆSAR CALIGULA, parentis optimi, GERMAMICI, pessimus filius, & planè monstrum. Viginti tribus illis annis, quibus præ fuit, infinitam auri vim Tiberius collegisse scribitur, quam iste primo statim anno totam profudit. *De Caligulâ legatur Dio lib. 59. Eutropius lib. 7. Aurelius, Orosius lib. 7. cap. 5. Svetonius cap. 39. in Caligulâ.*

Ipsius regni annô sacundô circiter, HERODUS ANTIPAS, Magni filius interfector Johannis Baptistæ, Lugdunum fuit missus in exilium, *Josephus lib. 18. c. 14. & de bellô Judaicô, lib. 2. cap. 8. Eusebius hist. Eccl. lib. 1. cap. 11. lib. 2. cap. 4. & successorem habuit HERODEM AGRIPPAM, qui Jacobum Apostolum extinxit, Act. 12. Josephus lib. 20. cap. 16. Eusebius lib. 2. cap. 22. Nicephorus lib. 2. cap. 38. [ Annô Æræ Vulgaris 41. ]*

Cali-



Caligulæ necatō subrogatus est CLAUDIUS patruus. Is, ubi defecisset Britannia, profectus eò & parte Insulæ in deditiōnem receptâ, domum rediit. *Svetonius in Claudiō, cap. 17. Dio. lib. 60. Eutropius lib. 7. Orosius lib. 7. cap. 6.*

Maxima fuit, eò regnante, passim inediâ, qvā ab AGABO prænunciatam fuisse, Lucas Evangelista commemorat. *Act. 11. Meminit hujus famis Josephus Antiq. lib. 20. cap. 2. Epiphanius her. 48. & 66. Eusebius hist. Eccles. lib. 2. cap. 8. Orosius l. 7. c. 6. Rufinus lib. 2. cap. 8. Xiphilinus in Claudiō.*

Claudii successor NERO CLAUDIUS, [ *Annō Æræ Vulgaris 54.* ] non obscure significabat qvandoqve, se sublaturum esse prorsus ordinem Senatorium. (*Svetonius in Nerone, cap. 78.*) Eò regnante, Britannia magnam cladem accepit, direptis ibi civibus atq; sociis populi Romani. (*Svetonius 39. Eutropius lib. 7. Festus Rufus.*) Legionēs etiā sub jugum missæ fuerunt in ARMENIA, & vix ægrè retenta Syria: Deinde GALLIA defecit, (*Svetonius cap. 40.*) auctore Juliō Vindice, ejus provinciæ præfe-

fecto, post etiam HISPANIA, (*Suetonius cap. 42.*) duce Sergio Galba. Cumque de recuperandis amissis cogitaret, inq; Galliam pararet profectioem, reliqui etiam exercitus, quos habebat, passim in provinciis rebellarunt. *Videatur Tacitus Annal. lib. 13. 14. 15. & 16. Dionis Epitome.*

Quam fuerit immanis & efferata belua, notum est ex historiis: itaque iudicatus hostis à Senatu seipsum interfecit [ *Annò Ære Vulgaris 68.* ] adjuvante servulo. *Eutropius 6. Aurelius Victor. Orosius lib. 7. cap. 7. Suetonius 49. & 52.*

Florebant eò tempore, præter SENECAM, LUCANUS, PERSIUS, SILIUS ITALICUS, Poëtæ: & hic quidem ultimò Neronis annò fuit Consul. *Lilius Gyraldus ex Tacitò. Plinius Secundus lib. 3. Epist. 7. ad Caninium.*

Ab eò tempore status Reipubl. fuit eò redactus, ut penes exercitum atque Legiones Populi Romani esset, creare Cæsarem; Hunc ad modum factus est etiam Cæsar VESPASIANUS: [ *Annò Ære Vulgaris 69.* ] (*Morem hunc sub Pertinace increvisse Zosimus lib. 11. testatur.*) Nam qui per  
Mæsi-

Mœciam erant, & Pannoniam, & Judæam, & Syriam exercitus, ab A. VITELLIO defece-  
runt, & in Vespasiani verba jurârunt. *Tacitus Annal. lib. 19. Svetonius in Vitelliô, cap. 15. in Vespasianô. cap. 6. Orosius lib. 7. c. 8.*

HIC ACHAIAM, LYCIAM, RHODUM, BYZAN-  
TIUM, SAMUM, THRACIAM, CILICIAM & COMA-  
GENEM populi Romani provincias fecit, (*En-  
tropsius lib. 7. Orosius lib. 7. cap. 9. Svetonius  
cap. 8. Aurelius Victor.*) & HIEROSOLYMAM  
[*Annô Ære Vulgaris 70.*] funditus delevit,  
adminiftrante bellum TITO filiô. *Tacitus  
lib. 21. Josephus in hist. excidii Hieros. Ni-  
cephorus lib. 2. Hist. Eccl. cap. 3. & seqq. En-  
sebius lib. 3. cap. 5. & seqq. Lactantius lib. 4.  
cap. 21. Zonaras tom. 1.*

FLAVIUS DOMITIANUS, cum Chattis,  
[*circa annum Ære Vulgaris 85.*] cum Da-  
cis [ *circa Annum ejusdem Ære Vulg 88.* ]  
cum Sarmatis bella gessit, deque iis trium-  
phavit, *Svetonius in Domitianô, cap. 6. Au-  
relius Victor. Entropsius 7. Orosius lib. 7. cap.  
10. Eusebius lib. 3. cap. 13. Xiphilinus.*

Vixerunt tunc STATIUS, JUVENALIS,  
MARTIALIS, Poëtæ.

ULPI-

ULPIUS TRAIANUS à NERVA CÖCCEIO adoptatus [ *Annô Æra Anlaris 97.* ] ac deinde Cæsar factus, [ *Annô sequenti 98.* ] Dacos bis rebellantes domuit, [ *Incepit bellum Dacicum quinquennale Annô Ære Vulgaris 101.* ] ac Romanæ ditionis fecit, coloniasqve deduxit. *Dio Cassius. Dacicum bellum à Canniniô Poët à tentatum Plinius meminit lib. 8. Epist. 4.*

In armeniam & Parthos cum exercitu profectus, deditioe & gratiâ sibi illos adjunxit, & PARTHICUS deinde vocatus est, (*Eutropius lib. 8. Festus Rufus.*) Verûm pleriq; omnes ab eô subjecti populi, rebellârunt tandem, præcipuè per Armeniam & Mesopotamiam, Parthi etiam regem ipsis datum ab illô, repudiârunt, cum in Italiam reverti cœpisset. [ *Annô Ære Vulgaris 116.* ] *Legatur Aurelius Victor, Orosius lib. 7. cap. 12. Xiphilinus, Zonaras tom. 2.*

ÆLIUS ADRIANUS Judæam rebellantem domuit ejus causa belli fuit, quòd Hierosolymæ, quum rursus habitari permisit, Jovi Olympio templum ædificâset, quam rem indignissimè Judæi ferebant. [ *Annô Ære Vulgaris 132.* ] *Dio Cassius in Adriano,*  
*Ense-*



*Eusebius lib. 4. c. 2. & seqq. Nicephorus lib. 3. c. 22. & seqq. Orosius lib. 7. c. 3. Zonaras tom 1.*

Gallias, item Germaniam, & Britanniam & Hispanias in visit. Deinde Mauritaniam, & Parthos, & Asiam, & Græciam, perque Siciliam Romam rediit: Inde rursus in Africam profectus, Romamque reversus, denuò Græciam Asiamque petit, illinc in Arabiam contendit, & post in Ægyptum. *Videatur Ælius Spartianus in Hadrianò. Festus Rufus, Aurelius Victor, Xiphilinus.*

Convocatò Senatu (*Dio Cassius*) commendavit eis ANTONINUM PRIMUM [ *Annò Ære Vulgaris 138.* ] qui post eum factus Cæsar, pacem coluit, deque omnibus benè mereri studens, exteros reges atque populos literis & humanitate in officiò continuit. *Aurelius Victor. Entropius lib. 3. Julius Capitolinus. Orosius lib. 7. cap. 14.*

Ejus tempore Jurisconsulti floruerunt, ALBURNUS VALENS, TUSCIANUS, VINIDIUS VERUS, ULPIUS MARCELLUS, ARRIANUS, TERTULLIANUS, SALVIUS JULIANUS, L. VOLUSIUS METIANUS. *Capitolinus in Piò.*  
Anto-



Antonino Pio successit [ *Annô Æræ Vulg. 161.* ] Iulius ( *Julius Capitolinus* ) M. ANTONINUS, cognomento PHILOSOPHUS, qui propinquum L. AURELIUM VERUM, socium Imperii sibi sumpsit. Per eum feliciter gessit Parthicum bellum, ( *Europius lib. 8. Festus Rufus:* ) ipse domi & in urbe Rempublicam curans: Deinde, mortuô Verô, [ *Annô Æræ Vulgaris 169.* ] solus imperavit, & in Germanos benè rem gessit: MARCOMANNOS etiam oppressit, & SARMATAS, & VANDALOS, & QVADOS, qui Pannonias invaserant. *Quadi Kyadöl Germaniæ populi Ptolomeo, Tacito & alijs. Hoc ipse Augustinus quidam putant; Silesios indigitat Debravius; Aventinus Marckfeldres Austriæ tractus populos vocat. Quadi quondam Helvetii dicti sunt. Europius. Zosimus lib. 3. Quados Saxonum partem facit: Die Qvaden Sachsen.*

Pleriqve enim omnes populi, inde ab Illyricô usq; in Galliam, eô tempore contra nomen Romanum conspiraverant. *Orosius lib. 7. cap. 15. Eusebius hist. Ecol. l. 5. cap. 5. Nicephorus lib. 4. cap. 12. Tertullianus in Apologeticô, cap. 5.*

Hujus

Hujus laudatissimi Principis filius flagitiosissimus, Commodus Antonius: (*Annô Ære Vulgaris 180.*) per legatos devicit Mauros atq; Dacos, (*Ælius Lampridius*) composuit Pannonias, Germaniam, Britanniam, imperium ejus recusantes. Ipse interim in omni genere turpitudinis & crudelitatis vitam degens. *Plura de eô Aurelius, Eutropius l. 8. Herodianus l. 1. Xiphilinus, Orosius l. 7. c. 9.*

SEPTIMIUS SEVERUS [*Annô Ære Vulgaris 193. seq.*] civile bellum gessit cum NIGRO, qui Asiam, & cum ALBINO, [*Annô Ære Vulgaris 198.*] qui Galliam ad defectionem sollicitabat, (*Ælius Spartianus.*) Cum Parthis feliciter pugnavit, [*Annô Ære Vulgaris 200.*] Judæos per Syriam debellavit. Persarum regem ABAGATUM subegit. Arabas in deditionem accepit. Britanniam communivit, murô utrinque ad Oceanum ductô, per transversam insulam, & subactis populis, Britannix infestis, Eboraci vitam finiit. [*Annô Ære Vulgaris 211.*] *Eutropius lib. 9. Aurelius Victor. Herodianus lib. 2. & 3. Orosius lib. 7. cap. 17. Xiphilinus. Festus Rufus.*

Ejus

Ejus filius ANTONINUS BASSIANUS CARACALLA bellum intulit Parthis & Armeniis. Hic est, qui PAPINIANUM, Prætorii præfectum, nolentem defendere parricidium, trucidari iussit [*Annô Era Vulg. 212.*] *Spartianus de causâ necis variat. Plura apud Xiphilinum, Eutropium lib. 8. Sex. Aurelium Victorum, Herodianum lib. 4. Festum Rufum.*

Viguerunt hoc tempore complures Jureconfulti, (*Lampridius in Severô,*) plerique omnes Papiniani auditores, TARRUNTIUS PATERNUS, MACER, TERENCETIUS CLEMENS, MENANDER, ARCHADIUS, RUFFINUS, PAPHRIUS FRONTO, ANTHIUS, MAXIMUS, HERMOGENIANUS, AFRICANUS, FLORENTINUS, THRYPHONIUS, JUSTUS CALISTRATUS, VENULEIUS CELSUS.

Interfecto Caracallæ [*Annô Era Vulg. 217.*] successit MACRINUS, (*Julius Capitol.*) qui parùm feliciter pugnans cû Artabanô, Parthorum rege, quum Legionem animadverteret ad HELIOGABALUM, Bassiani filium, inclinare, pacem fecit. *Herodianus l. 4. & 5. Eutropius lib. 8. Orosius*

*sius lib. 7. cap. 18. Aurelius Victor. Xiphilinus.*

ALEXANDER SEVERUS, foedissimi hominis HELIOGABALI successor, [*Annô Æræ Vulg. 222.*] vir strenuus, Artaxerxem, Persarum regem, ingenti præliô vicit, [*Annô Ær. Vulg. 234.*] (*Lampridius in Alexandrô. Herodotus lib. 6. Artaxerxem Oros. Eutrop. & Cassiodor. Xerxem nominant.*) Mesopotamiam recuperavit, deperditâ ab Heliogabalô: per legatos in Mauritaniâ in Illyricô, in Armeniâ feliciter belligeravit: in Germanos deinde profectus, qvi Galliam vastabant, à qvibusdam suis militibus interfectus est.

*Aurelius, Orosius lib. 7. c. 18. Eutropius lib. 8.*

Huic erat familiaris, admodum ULPIANUS Jureconsultus, Pâpiniani discipulus. [*Occisus Annô Æræ Vulgaris 226.*] (*Eutropius lib. 8. Festus Rufus.*) Vixerunt tunc etiam PAULUS, & POMPONIUS, & MODESTINUS, (*Lampridius in Alexandrô.*)

Alexandrum excepit MAXIMINUS, [*Annô Æræ Vulgaris 238.*] Is totis viribus in Germaniam profectus, non solùm Romanô milite, (*Julius Capitolinus*) sed Mauris etiam, & Osdrœnis, & Parthis, qvos Alexander ha-

ha-



habuerat, usus est: Vicos Germaniæ longè latèq; incendit, hostium vim magnam concidit, ac multò plures cepit, militemq; reduxit opulentum. Germaniâ pacatâ, Sirmium venit, & Sarmatis bellum inferre cogitabat: nec id modò, sed ipsius etiam erat propositum, regiones illas omnes, quæ sunt sub Septentrionibus, ad Oceanum usque, Romano subicere Imperio, sed offensus crudelitate illius exercitus, GORDIANUM summæ rei præficit, (*Capitolinus in Gordiano*) eamque rem Senatus, qui & ipse Maximinum oderat, habuit ratam, & illum Reipublicæ hostem pronunciat. Hoc factum vindicaturus ille, habitâ concione ad exercitum, Romam contendit. (*Eutropius lib. 6. Herodianus lib. 8.*) QUÔ cognitò, Senatus PUPINIUM, & BALBINUM Imperatores declarat. [*Annò Æræ Vulgaris 236.*] & Pupieno quidem belli traditionem adversus Maximinum, qui, Aquilejam obsidens, à suis militibus unâ cum filiò, quiescens in tabernaculò, fuit interfectus. [*Annò Æræ Vulgaris 237.*] *Orosius lib. 7. cap. 19. Aurelii Victor.*



*Victor. Eusebius lib. 6. cap. 21. Nicephorus lib. 5. cap. 25. Zosimus lib. 1.*

Post hæc Pupienô & Balbinô per seditionem militarem occisis, quum bienniô regnassent, ad Gordianum, adolescentem, rerum summa delata fuit. (*Annô Ære Vulgaris 238.*) *Julius Capitolinus in Balbinô & Gordiano. Pupienum multi Maximum putant. Eutropius lib. 5. Zosimus lib. 1.*

Is quartô sui imperii annô, (*Ære Vulgaris 242.*) per Mœsiam atque Thraciam, in Persas profectus est, in iisque locis populi Romani hostes profligavit: inde per Syriam venit Antiochiam, quæ tum à Persis tenebatur: illic frequentibus præliis decertavit, & Sapore, Persarum Regem, ejecit, ita quidem, ut Persæ, qui jam probè formidabiles erant Italia, suos intra fines recipere sese cogerentur. Sextô demum Imperii annô circumventus à PHILIPPO, prætorii præfectô, qui milites ad seditionem concitaverat, interfectus est. (*Annô Ære Vulgaris 244.*) *Zosimus lib. 1. Festus Rufus, Aurelius, Eutropius lib. 9.*

*Orosius lib. 7. cap. 19. Pomponius Letus in compendiô Rom. hist.*

Idem fuit etiam exitus PHILIPPI, (*Zosimus lib. 1.*) qui contra Scythas, Romanorum fociis & municipiis inferentes bellum, legatos cum exercitu misit, [*Annô Ær. Vulgaris 250.*] *Aurelius, Eutropius lib. 9. Orosius lib. 7. cap. 20. Pomponius Letus. Primus hic Christo fidem dedit: Eusebius lib. 6. cap. 27. Nicephorus lib. 5. cap. 25.*

Hic successorem habuit DECIUM, qui à legionibus Illyricis factus Cæsar, assentiente postea Senatu, primùm Galliæ motus composuit. (*Zosimus lib. 1.*) Deinde, Republicâ Senatui commentatâ, profectioem unâ cum filiô, Imperii fociô, Senatûs voluntate, suscepit in SCYTHAS, qui terrâ marique Thraciam, & alia Imperii loca, vastabant: & præliis aliquot victor, hoste in angustias locorum redactô, plenam victoriam reportasset, nisi GALLUS HOSTILIANUS, extremæ Mœsiæ præfectus, consilium illius ad Hostem enunciâsset: quô factum est, ut, præliô commissô, pater & filius, ex insidiis circumventi, interficerentur, *Sextus Aureli-*

*relins. Eutropius lib. 9. Eusebius Eccl. hist. lib. 7. cap. 1. Nicephorus l. 5. c. 25. Pomponius Letus.*

GALLUS deinde, Cæsar factus [ *Annò Ære Vulgaris 251.* ] à Legionè unà & militum reliquijs, qui superstites erant, pacem cum Scythis fecit, (*Zosimus lib. 1.*) populo Romano turpem & ignominiosam, quando tributum eis dependere promisit, rem inauditam & tanti nominis majestate prorsus indignam. Itaque ferociores facti Scythæ, ruptò fœdere, populabantur Dardaniam, Thraciam, Thessaliam, Macedoniam; nec id modò, sed Asiam quoq; , vastatis & deletis quàm plurimis urbibus. Denim, Scytharum exemplò, multi alii facti sunt Romanorum hostes, complures etiam rebellârunt. In Syriam penetrabant Parthi, & Armeniam occupabant, fugatò ipsorum rege Tyridate. *Pomponius Letus.*

Scythæ verò tam erant insolentes, ut etiam Italiæ minarentur, & magna perfecturi videbantur, nisi Æmilianus, Mœsiæ præfectus, ad oram Sarmaticam, confirmatò suò milite pollicitationibus & spe præmiorum, illos fudisset, ac longis-

simè perſecutus, ipſorum quoque fines diripiſſet, hâc de cauſâ Cæſar fuit ſalutatus à milite: GALLUS autem, eô cognitô, profectus, ut obſiſteret, unâ cum filiô VOLUSIANO, imperii ſociô, fuit interfectus. (*Annô Æræ Vulgaris 253.*) *Eutropius lib. 9. Oroſius lib. 7. cap. 21. Aurelius Victor.*

Hoc tempore CYPRIANUS floruit, (*Eusebius lib. 7. cap. 3. Nicephorus lib. 6. c. 7.*) Episcopus Carthaginensis (*Occubuit Martyr Annô Æræ Vulgaris 259,*) *cujus extant, inter alias multas, epistolæ quædam ad Lucium, Episcopum Romanum, quem fratrem vocat, & collegam, (1. Tomo conc. pag. 369. cum seqq.) multò autem plures ad CORNELIUM, ubi conqveritur, inter alia, de iis, qui propter delicta condemnati ab Aphricanis Episcopis, & ſacertotiô dejecti, Romam confugerant, amplioris cognitionis cauſâ. Nam æquum eſſe dicit, (Epistolâ, *cujus initium eſt: Legi literas tuas, pater, pag. 381.*) ut, quò locò crimen eſt admiſſum, ibi cauſa diſceptetur: Singulis enim Paſtoribus attributam eſſe portionem gregis, de quâ ſint*



sint rationem reddituri Domino: Non ergò scindendam esse concordiam Episcoporum, neque despiciendum judicium eorum, qui per Aphricam de causa jam statuissent. *Vide in Epist. Cypriani lib. 3. juxta editionem Pamelii.*

Interim exercitus alter, qui in Alpibus erat, VALERIANUM, nobili genere natum, Cæsarem elegerat, (*Pompon. Lætus*) quod cum Æmiliani milites audissent, ne turbis implicarentur, suum Cæsarem interficiunt, & ad Valeriani partes transeunt. *Eutropius lib. 9. Aurelius Victor. Orosius lib. 7. cap. 21. Zosimus lib. 1.*

*Emilianus dicitur in Britannia, quum Imperator factus esset, promiserat se liberaturum Thraciam & Mesopotamiam ab hostibus, recuperaturum Armenias, & depulsurum undiqve hostes Romani nominis. [Pomponius Lætus.]*

VALERIANUS in bellum Persicum profectus, (*Annò Æra Vulgaris 259.*) culpâ cujusdam sui ducis, captus fuit à Sapore, Persarum Rege, (*Trebellius Pollio in vitâ*) quem vicini principes atqve populi-





*Sebius lib. 7. cap. 18. Zosimus lib. 1. Entropius lib. 9.*

Ejus verò tanta fœcordia fuit, ut, cùm de provinciarum defectionibus & publicis calamitatibus audiret, ridiculè semper & contemptim responderet, quafi Respublica nihilominus consistere, suamque dignitatem retinere posset, nec ideò facta sit ejus deterior conditio. Contemptus igitur tam domi, quàm foris, ob dedecorosum vitæ genus, Reipublicæ quàm plurimos conciliavit hostes: ac Scythæ quidem, & Gothi, cumque his permixti quàm plures alii populi, erant tum in armis, ac in perniciem populi Romani conjuraverant: circiter CCCXX. hominum millia, sed hos omnes in Mœsiâ, multisque aliis in locis, debellavit tandem FLAVIUS CLAUDIUS, qui interfecto Gallienò [*Annò Æræ Vulg. 268.*] successerat, vir magnæ virtutis ac dignus longiori vitâ. *Trebellius Pollio in Vita. Entropius l. 9. Orosius lib. 7. cap. 23. Pomponius Letus.*

Post Claudium fuit AURELIANUS, [*Annò Æræ Vulgaris 270.*] (*Flavius Vopiscus,*)

*piscus*,) quoniam ejus erat perspecta virtus quam, regnante Claudio, multis locis in hostem declaraverat. Is per Insubriam bella gessit, & cum Marcomannis confixit, dubiè quidem initio & periculose, verum feliciter tandem; postquam illius mandatu libris inspectis Sibyllinis religionem Senatus procurasset: Romam inde profectus, & mulctatis nonnullis, ob seditionem excitatam se absente, bellum suscepit, ut, quæ sunt ad Orientem Solem & in Syriâ, provincias recuperaret, (*Zosimus lib. 1.*) quas ZENOBIA, fortis & animosa fœmina, suorum liberorum tutrix, obtinebat, ab Odenatô conjugis sui relictas, qui Gallienô Cæsare, multa fortiter ac præclare iis in locis gesserat. *Entropius lib. 9. Aurelius Victor. Festus Rufus. Pollio in vitâ 30. Tyrannorum. Orosius lib. 7. cap. 23. Precopius in bellô Persicô lib. 2.*

Quacunqve transfret Cæsar, hostes populi Romani fudit, in Illyricô, in Thraciâ, cæterisque in locis, ac demum in hostilem regionem ubi venisset, post variam & periculi plenam dimicationem, vicis

cit, & Reginam cepit. [*Anno Æræ Vulgaris 273.*] quæ Perfarum & Armeniorum auxiliis confisa fortissimè repugnauerat. Ejus autem regionis, quam debellauerat, præcipua erat civitas PALMYRA: Cumq̃ve Cæsar ex Asia rediisset in Europam, Palmyrani rebellârunt, occisò duce, & militibus, in præsidio collocatis. Reversus igitur eò, captam urbem evertit, interfectis omnib9, ita quidem, ut nec ætati parceret ulli, neq; sexui. *Palmyra Syriae urbs, olim Hadriano-polis vocata fuit, teste Stephanò, Syrorum quoque lingua Thadammus dicta fuit, ut tradit Baprista Egnatius. Zosimus lib. 1.*

Ægyptum deinde, quæ tum defece-  
rat, recepit, & Gallias denuò Romanæ di-  
tionis fecit: post Romæ triumphavit, in-  
de per Illyricum profectus, Persis bellum  
indixit: sed in itinere à suis familiaribus  
est interfectus. [*Anno Æræ Vulgaris 275.*]  
*Aurelius, Pomponius Letus, Zosimus lib. 1.  
historiæ novæ.*

Ab ejus interitu fuit interregnum ali-  
quandiu, (*Fl. Vopiscus*) quod post Romu-  
li mortem acciderat nunquam. Tandem  
suc-



successit TACITUS, qui paucorum mensuram  
 Imperator, nihil memorabile perfecit: hunc  
 Senatus oraverat, ne moriens, liberos suos,  
 verum aliquem spectatae virtutis ac probi-  
 tatis virum, imperii successorem faceret.  
 Is fuit PROBUS. [*Annô Aerae Vulgaris 276.*]  
 qui tam ab exercitu, quam à Senatu con-  
 firmatus, Galliam recepit, & Francones  
 Germanos, qui illam obtinebant, multis  
 praeliis devicit. *Romanae historiae Francos, non  
 Francones scribunt. Vopiscus, Aurelius Entro-  
 pius l. 9. Pomponius Letus, Orosius l. 7. c. 24.*

In Illyricò Sarmatas, aliasq; gentes, con-  
 cidit, & itinere factò per Thraciam barba-  
 ros populos, Romani nominis terrore, &  
 rerum gestarum magnitudine, sibi devin-  
 ctos reddidit, (*Zosimus lib. 1.*) Asiam pacavit,  
 & Parthorum regem ad petendam pa-  
 cem solà nominis sui famâ excitavit: Pa-  
 cem cum Persis fecit, ac inde in Thraciam  
 revertit, & exteros populos devictos in Ro-  
 manum solum transtulit, ex quibus aliqui  
 fidem servârunt: Alii contra, quos tamen  
 omnes magnâ ex parte post oppressit. Et  
 cum rebelliones per Galliam, Hispaniam  
 atque



atque Britanniam sedasset, iter ingressus per Illyricum, ut Persis bellum inferret, à suis insidiosè fuit interfectus. [*Annò Æræ Vulgaris 282.*] *Orosius lib. 7. cap. 14. Pomponius Lætus.*

Florebat tùm Respublica, longè latèqve pacatis undiqve populis, ita quidem, ut PROBUS aliquando diceret, brevi futurum, ut Legionibus atque Præfidiis nihil esset opus: hóc illius dictò milites offensi, judicabant è mediò tollendum esse. *Vopiscus, Eusebius Hist. Eccl. lib. 7. cap. 24.*

Post eum subit CARUS, qvì Sarmatas morte Probi factos insolentiores, & Italiae minitantes, fregit. (*Vide Orationem Synesii de regnò ad Arcadium,*) inqve Persas proficiscens, Mesopotamiam cepit, longiusqve profecturus interit. *Vopiscus in vita, Sextus Aurelius, Eutropius lib. 9. Pomponius Lætus, Orosius lib. 7. cap. 24. Festus Rufus.*

Ex filiis natu minorem, NUMERIANUM, militiæ Comitem secum habuit, alterum, CARINUM, Gallis præfecerat:

NUMERIANUS à Socerò suò fuit occisus, (*Annò Ære Vulgaris 284.*) in ejusque locum venit DIOCLETIANUS, (*Vopiscus in vitâ Numeriani & Carinè. Entropius lib. 9. Aurelius. Orosius lib. 7. cap. 24.*) cum eò præliis aliquot conflixit CARI-  
 NUS, adipiscendi imperii causâ, sed victus occubuit. [*Annò Ære Vulgaris 285.*]  
 DIOCLETIANUS, propter nascentes non unò in locò turbas ac seditiones, collegam sibi sumpsit MAXIMIANUM, (*Annò Ære Vulgaris 286.*) Is Galliam commotam pacavit, & Aphricam. Diocletianus autem Ægyptum, interfectis barbarum authoribus. [*Annò Ære Vulgaris 292. seq.*] Britanniam quoque decimò post annò, quàm defecerat, recepit: & ut firmior esset Republicæ status, neve propter successionem novi motus excitarentur, GALERIUM adoptavit, Maximianus autem CONSTANTIUM CHLORUM. (*Annò Ære Vulgaris 291.*)  
*Sextus Aurelius. Festus Rufus, Entropius lib. 9. Orosius lib. 7. cap. 23.*

Contra NARSEM, Persarum regem, missus à Diocletianò Galerius, infelicitè

citer pugnavit, (*Festus, Rufus,*) amissâ majore parte exercitûs, sed jussus redintegrare bellum, ingenti præliô superavit hostem, & longius, quàm quivis alius Imperator, exceptô Trajanô, iis locis progressus, captâ Gtesiphonte, totam Assyriam domuit, & quinque trans Tigrim flumen provincias, quæ, Trajanô Cæsare, defecerant, recepit. [*Annô Æræ Vulgaris 297.*] *Eutropius, Pomponius Letus.*

Per Asiam rebus compositis, in Europam DIOCLETIANUS rediit, in quâ pacatissimi erant Scythæ, Sarmatæ, Alani, Bastarnæ, Carpi, Catti, Qvadi. Postea tum ipse, tum Maximianus. [*Annô Æræ Vulgaris 304.*] abdicatô magistratu, suos confortes, de quibus antè diximus, Imperio præficiunt, CONSTANTIUM quidem Galliis, Britannia, Hispaniis, Italia, Africa, GALERIUM autem Illyrico, Græciæ & Asia. *Orosius lib. 7. cap. 25. Eutropius in fine noni libri. Eusebius lib. 8. cap. 26. Socrates lib. 1. cap. 1. Pomponius Letus.*

Hôc tempore Romæ fuit Episcopus, MARCELLUS, cujus extat decretum, (*Tom. 1.*

conc. pag. 417. editionis Venetæ.) *Episcopis non licere convocare Synodum, absque Romana sedis auctoritate, non licere item damnare ullum Episcopū, qui Romam provocarit.* Repetitur 2. quæst. 6. ad Romanam Ecclesiam, Dist. 17. c. *Synodum Episcoporum.*

Erat hujus etiam, sicut aliorum ante ipsum, afflictā tenuisque fortuna, quum Cæsar eum persequeretur Maxentius. Itaque facile colligi potest, an in his angustiis atque latibulis tantum ille sibi sumserit, ut ejusmodi faceret decreta. *Damasus, in vitâ Marcelli.*

Constantiō tandem Eboraci mortuō, [*Annō Bræ Vulgaris 306.*] Galerius adoptavit SEVERUM & MAXIMIANUM. *Orosius lib. 7. c. 25. Eutropius lib. 10. Sextus Aurelius.*

Interea milites prætoriani MAXENTIIUM Romæ salutant Cæsarem. *Eutropius lib. 10. Aurelius Victor, Socrates lib. 1. cap. 1. Zosimus lib. 2. Pomponius Lætus.*

Inter



Interfecto Severo [ *Annò Æræ Vulgaris 30.* ] MAXIMIANUS imperii collegam assumpsit LICINIUM, *Eutropius lib. 10. Socrates lib. 2. cap. 1. Pomponius Letus.*

Inter hos magni fuerunt motus, ideoque nobiles Romani CONSTANTINUM, Constantii filium, in Galliis agentem, evocant, ut urbem à tyrannide Maxentii liberaret. Ille cum parte copiarum in Italiam profectus, commisso præliò vicit, & tandem ad urbem Romam exercitum Maxentii planè concidit. [ *Annò Æræ Vulgaris 312* ] *Eutropius lib. 10. Orosius lib. 7. cap. 28. Eusebius Hist. Eccl. lib. 9. cap. 8. & lib. 1. de vitâ Constantini, cap. 32. Socrates lib. 1. cap. 1. Zosimus lib. 2. Pomponius Letus. Meminit Prudentius Poëta.*

Tandem etiam cum LICINIO bella gessit, qui præliò victus, & plerisque omnibus exosus, à militibus demum fuit interfectus. [ *Annò Æræ Vulgaris 325.* ]

*Sextus Aurelius, Eutropius lib. 10. Orosius lib. 7. cap. 28. Eusebius in vitâ Constantini M. lib. 2. cap. 18. Nicephorus lib. 7. cap. 45. Socrates lib. 1. cap. 2. Zosimus lib. 2.*



Ejus belli causam fuisse nonnulli scribunt, quod Christianæ professionis homines acerbè Licinius persequeretur, cum quidem sæpè rogatus esset atque monitus à Constantinò, ne faceret. *Eusebius lib. 10. cap. 8. Socrates lib. 1. cap. 2. Sozomenus lib. 1. cap. 7. Nicephorus lib. 7. cap. 44. Pomponius Letus.*

Nam inde à resurrectione CHRISTI ad hanc ætatem usque, per annos ferè trecentos, qui CHRISTUM profitebantur, variè fuerunt afflicti. Nam, ut illa præmittam, quæ sacra Scriptura de STEPHANO, de JACOBO, fratre Johannis, de PETRO captivò, sed per Angelum liberatò, commemorat, *Actorum cap. 7. cap. 12. cap. 9.* ut PAULUM quoque taceam, qui & ipse graviter Ecclesiam DEI persecutus est, & postea conversus, nullum non periculorum genus adiit propter CHRISTUM: Romani quoque Cæsares horrendas & immanes excitârunt lanienas, NERO, DOMITIANUS, TRAIANUS, SEPTIMIUS SEVERUS, MAXIMINUS, DECIUS, VALERIANUS, AURELIANUS, DIOCLETIANUS,

NUS, MAXIMIANUS. *Augustinus de Civitate Dei, lib. 8. cap. 52. De his persecutionibus, vide Scriptores Ecclesiasticos, Eusebium, Nicephorum, Sulpitium Severum &c.*

Rerum autem potitus CONSTANTINUS, & veram complexus religionem, portus extitit atque refugium Christianis. *Quomodo Constantinus ad Christianismum amplexandum adductus sit, scribit Zosimus, lib. 2. longè aliter, ac Ecclesiastici Scriptores rem explicant.*

Tunc primùm etiam EPISCOPI ROMANI cœperunt esse in tutò: nam hucusque plerique omnes fuerant affecti suppliciiis.

Numerantur autem inde à PETRO, quem ipsi primum fuisse volunt, (*Tom. 1. concil.*) ad hoc usque tempus triginta tres. Horum decreta sunt in libros inserta conciliorum, sed ex iis pleraque tam sunt levicula, tam nugatoria, tam aliena prorsus à sacris literis, ut credibile sit, ab aliis longò post tempore fuisse conficta. Sin autem vera sunt, & ab illis emanarunt, tunc sanè, quod vaticinando Paulus (*2. Thessal, 2.*) dicebat, filium illum perditum hominemque peccati jam tum operari

rari cœpisse mysterium iniquitatis, rectissime videtur hanc etiam ad partem accommodari posse.

ANACLETO, qui ponitur quartus à Petro, (*Tomo 2. conc. pag. 309.*) tribuitur, & extat decretum, quo statuit Ecclesiam Romanam esse, mandatô & institutione CHRISTI, caput aliarum Ecclesiarum. *Repetitur Distinct. 22. can. 2. Sacrosanct. Item Distinct. 21. 6. In novo.*

Alteri post eum, ALEXANDRO, decretum adscribitur, (*1. Tom. Concil. pag. 316. Ep. ad omnes Orthodoxos,*) quo mandat, ut aqua cum sale consecretur ad expurgandum populum & amoliendum insidias Diaboli. *Extat de cons. dist. 3. can. aquam cum sale.*

Quæso, quantum ista differunt ab Apostolorum illâ majestate, (*Eusebius lib. 4. cap. 25.*) quantum autem à Johannis Evangelistæ scriptis, qui probè ad hoc usque tempus ætatem produxit? *De obitu Johannis Evangelistæ nihil certi extat. Hieronymus breviter ait, Johannem annô 68. post passionem Domini Ephesi mortuum. Suidas ad annum ætatis 120. pervenisse refert.*

Hæc duo posui solum, ut de reliquis iudicium fieri possit. Nam ferè sunt ejus generis, & ambitionem apertè præ se ferunt, & ut sermo est illotus, ita quoque res ipsa nihil habet falsi, quem in Ecclesiæ ministris Paulus requirit, *ad Coloss. 4.*

Huc etiam pertinet illud Constantini Cæsaris edictum, quod suis libris inseruerunt, (*Distinct. 96. can. Constantinus,*) ipsorum potentiae videlicet fundamentum atque robur. Nam, quæ ponitur ibi liberalitatis illius immensæ causa & occasio, falsi redargui potest ex historiis, atque convinci. In vetustioribus exemplaribus *Decreti Gratiani non extat Donatio Constantini Magni*, ut annotatur *Centuria 4. Histor. Eccles. Otto Frisingensis lib. 4. scribit, fuisse Gratiani tempore, qui donationem illam fictam asseverarent. Impugnârunt publicis scriptis hoc commentum Marsilius Patavinus in librò suò, cui titulus: Defensor pacis, Nicolaus Cusanus, Cardinalis, lib. 3. cap. 2. de Concordiâ Catholicâ, Aeneas Sylvius in suò Dialogò, Vo-*  
late-



lateranus, Laurentius Valla, Ludolphus de Babenberg de jure regni Imperii Romani cap. 13. Johannes de Parisiis tractatu de potestate Regia & Papali. Martinus Lutherus; item Hottomannus in brutô fulmine Theophilus Banosius lib. 10. de Politia civitatis Dei, cap. 11. Defendunt, hanc e mentitam donationem Augustinus, Steuchus Eugubinus duobus libris contra Vallam scriptis, & Boethius, Episcopus Frisius, lib. 2. Heroicarum questionum. Johannes Aventinus lib. 5. Henrico IV. imperante, fabulam Donationis Constantinianæ primùm excogitatam affirmat quod ab illorum temporum statu non alienum videtur.

Deinde, ut maximè fuerit Cæsar profusus, uni sibi fortasse potuit hoc ipso jure suum imminuere: Successoribus autem æquali potestate præditis, & Reipublicæ tutoribus, non potuit. Nam qui jus & Imperii vectigalia deteriora facit, patriæ pater appellari non debet, & par pari præscribere non



*non potest, aut præjudicare, l. 4.*  
*D. de recept. arbit. Item in l. 58. D. de judic. &*  
*l. ille 13. §. tempestivum; D. ad. SC. Trebellian.*

Constantini Cæsaris mandatu, [ *Annô*  
*Æræ Vulgaris 325. & 326.* ] NICEÆ, urbe Bi-  
 thyniæ, fuit indictum & habitum CONCILI-  
 UM longè frequentissimum, [ *Orosius lib. 7.*  
*cap. 28.* ] in eòque dogma damnatum Arii,  
 qui CHRISTUM negabat ejusdem esse cum  
 Patre substantiæ. *Eusebius de vitâ Constan-*  
*tini Milib. 3. c. 6. 7. Nicephorus lib. 8. cap. 4.*  
*& seqq. Theoretetus lib. 1. cap. 7. & seqq. So-*  
*crates lib. 1. cap. 5. Sozomenus lib. 1. c. 16. Ruffi-*  
*nus lib. 10. cap. 2. Zonaras tomo 3.*

Non ex Europâ tantum & Asiâ, sed ex  
 Ægypto etiam atque Libyâ convenisse eò  
 scribuntur Episcopi. *Hinc Augustinus librò*  
*de Baptismò, capite 18. Nicenum Concilium*  
*orbis terræ concilium nominat.*

Decretum inter alia fuit, ut per Æ-  
 gyptum, Libyam, Pentapolim vetus con-  
 suetudo servetur, nimirum, ut hi omnes  
 Alexandrino subsint Episcopo, quum  
 Romanus etiam Episcopus hunc morem  
 usur-

ufurpet & retineat. (Tomo 1. concil. cap. 6. Decret. Concilii Niceni, pag. 854. item 568. & 578.) item, ut Antiochiæ, cæterisque provinciis & Ecclesiis, integra maneant sua cuiusque privilegia. *Dist. 65. c. Mos antiquus.*

Posthanc Synodum, (*Dist. 16. c. prima annotatio,*) Eustathiô quôdam authore, natæ fuerunt opiniones pravæ, *de vitandô matrimonio, de novô & inusitatô genere vestitus, de non edendis carnibus, de relinquendis possessionibus.* Athanasius *orat. 1. cont. Arrian.* Basilus *Epist. 74.* Socrates *lib. 2. cap. 47.* Nicephorus *lib. 9. cap. 16.* Sozomenus *lib. 3. cap. 13.*

Cùm ergò plerique conjuges divortium facerent, & servi, relictis dominis, ad novum illum ac religiosum vestitum, uti vocabant, confugerent, (*Hujus concilii canones Decretis Gratiani ferè omnes inserti sunt Dist. 30. 31. & 42.*) idem quoque facerent mulieres, desertis maritis: cùm ii, qui carnibus vescerentur, item, Ecclesiæ ministri, qui

duxe-

duxerant uxores, vulgò despicerentur, tanquam impuri & ingrati DEO, GANGRÆ, oppido Paphlagoniæ, fuit habita SYNODUS, (*concilium fuit habitum annò post CHRISTUM natum 33.*) in eaque damnati, qui sic docerent, atque sentirent. *Canones Concilii Gangrensis extant. 20. tomò 1. conciliorum, p. 609. subscribserunt Episcopi 16.*

Salutatus ampliffimè à Senatu populoque Romanò Constantinus, propter restitutam Reipublicæ pacem, ad externa bella totum sese convertit, multisque præliis Gothos atque Sarmatas vicit, Thraciam diripientes. (*Festus Rufus, Eusebius de vitâ Constantini, lib. 4. cap. 56.*) deinde, jam ætate gravis, bellum indixit Persis, Mesopotamiam vastantibus, & in Asiam ubi venisset cum exercitu, sumptò pharmacò, valetudinis curandæ causâ, vitam finiit, non absque veneni suspitione. [*Annò Æræ Vulgaris 337.*] *Entropius lib. 10. Sextus Aurelius. Orosius lib. 7. cap. 28. Socrates lib. 1. cap. 26. Sozomenus lib. 2. cap. 25. Nicephorus lib. 8. cap. 54. & 55. Augustinus lib. 5. cap. 22. de civitate Dei Pomponius Lætus.*

Hic ille est, qui cognomento dicitur MAGNUS, & qui BYZANTIUM, urbem Thraciæ, suô de nomine vocavit, eò translata sede regiâ. *Entropius lib. 10. Orosius lib. 3. cap. 13. lib. 7. cap. 28. Socrates lib. 1. cap. 12. Sozomenus lib. 2. cap. 2. Augustinus lib. 5. cap. 25. de Civitate Dei, Zosimus lib. 2.*

Cœpit autem regnare ad annum à Natali die CHRISTI circiter trecentefimum duodecimum. Cometes inusitatae magnitudinis mortem ejus antecessisse dicitur. *Entropius lib. 10.*

Tres reliquit filios, CONSTANTINUM, CONSTANTIUM, CONSTANTEM : Hos inter divisum fuit imperii corpus; CONSTANTINO pars obtigit Alpium, Gallia, Hispania, Britannia, Orcades, Hibernia, Thyle. CONSTANTI, Italia, Aphrica cum Insulis, Illyricum, Macedonia, Achaia, Peloponnesus, Græcia. CONSTANTIO, Asia & Tracia. *Aurelius Victor. Eusebius lib. 4. cap. 51. de vitâ Const, M. Niceph. lib. 8. cap. 54. Zosimus lib. 2. Pomponius Letus. Non satis autem convenit, diviseritne Constantinus ipse heredibus imperium, an ipsi post ejus mor-*

mortem fortè id fecerint. *Vives ad cap. 25. lib. 5. Augustin. de Civitate Dei.*

CONSTANTINUS eâ divisione non contentus, bellum intulit fratri CONSTANTI : jamq; pervenerat Aquilejam : ibi congressus cum copiis Constantis, amissô exercitu, confoditur. [*Annô Æræ Vulgaris 340.*] *Entropius lib. 10. Aurelius Victor. Orosius lib. 7. cap. 29. Socrates lib. 2. cap. 3. Zosimus lib. 2. Pomponius Letus.*

CONSTANS, qui intereâ cum Getis & Sarmatis in Daciâ belligerabat, (*Pomponius Letus*) post eam victoriam, de quâ diximus, in Italiam venit, & superatis Alpibus, in Galliam penetravit, & bienniô ditionem omnem mortui fratris obtinuit : sed paulô post insidiis & fraude MAGNENTII fuit interfectus. [*Annô Æræ Vulgaris 350.*] *Aurelius Victor. Entropius lib. 10. Orosius lib. 7. cap. 29. Socrates lib. 2. cap. 20. Sozomenus lib. 4. cap. 1. Nicephorus lib. 9. cap. 29. Zosimus lib. 2.*

Hunc Magnentium milites, antea deliniti ac præmiis allekti, salutârunt Imperatorem. *Aurelius Victor. Entropius lib. 10. Orosius lib. 7. cap. 29. Socrates lib. 2. cap. 20.*



*Zosimus per jocum Imperatorem factum scribit, lib. 2.*

Eâ re cognitâ, Constantius, ex tribus fratribus adhuc superstes, relictô per Asiam legatô, Patruale & fororiô suô GALLO, magnis cum copiis in Italiam, ac inde in Galliam accedit, & hostem ingenti præliô vincit. Elapsus autem Magnentius, de pace legatos mittit, sed rejectus à Victore, denuò præliatur, & infeliciter quidem: Itaq; Lugdunum fugiens, cum suos etiam comites insidiari sibi videret, nec, quò se reciperet, haberet, mortem sibi conscivit ipse, [*Annô Ære Vulg. 353.*] *Sextus Aurelius. Eutropius l. 10. Orosius l. 7. c. 29. Socrates l. 2. c. 27. Sozomenus l. 4. c. 6. Nicephorus l. 9. c. 32. Zosimus l. 2. Pomponius Letus. Athanasius, in Apologia ad Constantinum Cesarem, scribit: Magnentium Judam imitatum, eòdem mortis genere sibi ipsi carnificem factum. Aurelius gladio incubuisse refert.*

Constantius deinde, Gallum patrualem, Legatum suum per Asiam, ut dictum est, abutentem imperiô ac potestate, cum aliâ ratione sanare non posset, interfici mandat, [*Annô Ære Vulg. 354.*] (*Sextus*

*Aure-*

*Aurelius, Eutropius lib. 10. Orosius lib. 7. c. 29. Ammianus Marcellinus l. 14.*) post in Asiam redit, perfecturus bellum Persicum, quod propter factionem Magnentii, ut supra diximus, intermiserat. *Socrates lib. 2. cap. 27. Sozomenus l. 4. c. 6. & l. 5. c. 2. Nicephorus l. 9. c. 82. Zosimus l. 1. Pomponius Letus.*

Et quoniam sub hoc ipsum tempus GERMANI, factâ impressione, Galliam vastabant, alterum suum patruelem, JULIANUM, Galli fratrem, adoptavit, & Galliaë tutelam illi commisit. *Marcell. lib. 15. Sozomenus lib. 5. cap. 2. Zosimus lib. 3.*

Julianus, feliciter administratâ re, multisque præliis victor, hostem trans Rhenum expulit, complures cepit, ac Romanos milites captivos liberavit, & ad Argentoratum hostilem exercitum ferè totum concidit, ideoque salutatus est ab exercitu non modò CÆSAR, verùm etiam AUGUSTUS; ac diademate ornatus, licèt invitus, ut præ se ferebat; *Socrates lib. 3. cap. 1. Sextus Aurelius, Eutropius lib. 10. Zosimus lib. 3. Marcell. lib. 16. & 20.*) Nam, literis ad Constantium datis, invidiam

facti conabatur à se derivare; sed Constantius eâ re plurimum offensus, omisso Persicò bellò, vicinisqve populis liberaliter & amicè compellatis, ut in fide persisterent, iter ingressus est, (*Marcellus lib. 21.*) ut Julianum ad officium reduceret, sed in itinere, cùm adhuc esset in Asiâ, feбри correptus vitam finiit, Julianò priùs constitutò Successore. [*Annò Ære Vulgaris 361.*] *Aurelius Victor. Eutropiò lib. 10. Orosius l. 7. c. 29. Socrates lib. 2. cap. 37. Nicephorus lib. 9. cap. ultimo. Theodoretus lib. 3. c. 1. Sozomennus lib. 5. cap. 1.*

Regnante Julianò, populi Romani hostes intra suos fines se continebant, nec ullus erat uspiam motus. *Ammianus lib. 25. Eutropius lib. 10. Festus Rufus. Aurelius Victor. Socrates lib. 3. cap. 28. Theodoretus lib. 3. cap. 20. Sozomennus lib. 6. cap. 1. Augustinus de civitate Dei, lib. 4. cap. 26.*

Ipse contra Persas profectus, & Assyriam populatus, exercitu hostili profligatò, Ctesiphontem usqve pervenit, tandem redueturus copias, à tergò invaditur ab hoste: cùmqve medius versaretur inter suos milites, acceptò vulnere, paulò pòst excessit

fit è vitâ, Christiani nominis hostis. [ *Annò  
 & Eræ Vulgaris 363.* ] Quod Christiani nominis  
 hostis fuerit & persecutor Julianus, attestan-  
 tur Socrates lib. 3. cap. 11. Theodoretus lib. 3.  
 cap. 7. Sozomenus lib. 3. cap. 1. 2. Nicephorus  
 lib. 10. cap. 21. 22. 23. & c. Augustinus lib. 8.  
 cap. 52. Pomponius Letus.

Milites, amissò duce, cum in magnis ver-  
 farentur angustiis, Cæsarem faciunt JOVINI-  
 ANUM. Aurelius Victor, Eutropius l. 10. Orosius  
 l. 7, c. 31. Ammianus l. 25. Socrates l. 3. c. 19. The-  
 odoretus l. 4. c. 1. Sozomenus l. 6. c. 1. Nicepho-  
 rus l. 10. c. 38. Zosimus l. 3. Pomponius Letus.

Erat tunc Episcopus Romanus Ju-  
 nus, ejus nominis PRIMUS, Epistolæ ejus  
 quædam extant ad Episcopos Orientales,  
 ( *Tom. 1. concil. pag. 610. & seqq.* ) in quibus  
 non semel inculcat, sibi soli, qui sit primæ  
 sedis, ut ait, ( *Epist. 1. quæ tamen censetur esse  
 fictitia* ) præful, singulari quòdam privile-  
 giò, & ex præscriptò divinò, jus compete-  
 re convocandi Synodos Generales. Repe-  
 titur 3. q. 6. c. Dudum à sanctis.

Mirum autem videri possit, quâ fron-  
 te istud scribat, aut alii jactitent, quum



& ante ipsum, CONSTANTINUS NICENUM, & post ipsum, annis omninò centum, MARTIANUS Imperator CHALCEDONENSE coëgerit concilium. Ad se quoque solum, ejus urbis antistitem, pertinere dicit, ut de causis Episcoporum, & id genus aliis gravioribus negotiis, cognoscat. *Epistola hæc Julii suppositiva est, ut liquet ex Sacrate, lib. 2. cap. 15. Sozomenò, lib. 3. cap. 8. ubi litterarum summa indicatur, quæ cum argumentò fictitiæ hujus Epistolæ non congruit.*

Hanc ejus arrogantiam Episcopi illi ferre non poterant, & ANTI OCH IÆ congregati mastruè respondem, sententiam ab se latam retractari ab ipso non oportere, quòd eundem dignitatis gradum obtineant, quem ipse: Nam inde à suis finibus CHRISTI doctrinam, Apostolorum operà & ministeriò, Romam pervenissè tandem: quòd si pergat, & nova decreta faciat, non se parituros, & nihil sibi fore commune cum ipso, consiliumq; capturos esse, quemadmodum res ipsa postularit. *Extat Epistola hæc inter decreta Julii Pontificis, 1. tomo conciliorum, pag. 621. editionis Vener-*



*ta, responsum Julii subnexum est, pag. 625.*

In aliâ quoque Synodô ejus urbis, multò frequentiori, quàm quæ prius habita fuit, inter alia statuunt, quod sit Episcopi, quod officium Metropolitanî, si quando graviores causæ disceptentur. *Tom. 1. concil. sub tit. Concilium Antiochenum, pag. 640. Can. 14. & 15. pag. 646. & 647.*) Nam si dissentiant Episcopi, jubent, ut Metropolitanus è finitimâ provinciâ quosdam adhibeat judices, litemque definiat: si autem Episcopus aliquis, de communi sententiâ reliquorum Episcoporum sit condemnatus ob crimen, ~~in iudicium~~ esse mandant iudicium, neque retractandum ab aliô. Decernunt etiam, *Can. 27. pag. 650.* ut bona sacra dispenset fideliter, & elargiatur Episcopus in usus pauperum, & ipse quoque, si sit opus, desumat ex illis, quod erit necessarium ad tolerandam vitam, quum Paulus dicat. (*1. Timoth. 6.*) victu & amictu nos oportere esse contentos: quòd si forsan in sua suorumque privata commoda facultates illas avertat Episcopus, & suis propinquis eorum administra-

nistrationem committat, Synodō coërcendum esse dicunt. 12. *quest. 1. Episcopus Ecclesiasticarum rerum.*

JOVINIANUS, imminente hoste, pacem demum facit ignominiosam Reipublicæ: (*Festus Rufus, Zosimus lib. 3. Agathias lib. 4.*) Nam provincias illas quinque trans Tigrim, occupatas à Galeriō, sicut antea dixim⁹, ac simul Mesopotamiæ partem reddidit: deinde pactus fuit, populum Romanum non esse laturum opem Armeniæ Regi, socio & amico. (*Marcellus 25.*) Progressus cum exercitu, ut domum rediret, in <sup>sub</sup> Bithyniæ mortuus est. [*Anno Eræ Vulgaris 364.*] *Eutropius lib. 10. Orosius lib. 7. cap. 31. Socrates lib. 3. cap. 22. Theodoretus lib. 4. cap. 4. Sozomenus lib. 6. cap. 6. Augustinus de civitate Dei, lib. 5. cap. 25. Diaconus lib. 11. Pomponius Letus.*

Illico Cæsarem fecit exercitus VALENTINIANUM, (*Sextus Aurelius, Ammianus lib. 26. Diaconus lib. 11. Orosius lib. 7. cap. 32.*) qui deinde, postquam Constantinopolim venit, Imperii collegam sibi sumisit fratrem suum VALENTEM, eiqve regiones

nes illas commendans, & profectus in Germaniam, Saxones Oceano vicinos domuit.

*Marcellus lib. 28. Diaconus lib. 12.*

In Galliam deinde postquam venit, irâ concitatus periisse fertur. [*Annô Æræ Vulgaris 375.*] *Aurelii Victor. Paulus Diaconus l. 12.*

*Ammianus l. 30. Socrates l. 4. c. 26. Sozomenus lib. 7. cap. 37. Zosimus lib. 4. Pomponius Latus.*

Erat per id tempus in Asiâ Frater ipsius VALENS, alter Cæsar, ut Parthos, Armeniam vastantes, & Persarum regem, rupto fœdere belligerantem, coërceret:

(*Diaconus lib. 12.*) sed cùm Hunni sive Tartari & Scythæ Pannoniam, Epirum & Thessaliam vastarent, in Europam rediit, & commissio præliô victus, ac in fugâ vulneratus, inque tugurium quoddam delatus, immisso ab hostibus igne, conflagravit. [*Annô Æræ Vulgaris 378.*] *Orosius lib. 7. cap. 33.*

*Quâ ratione Valens interierit, incertum. Socrates lib. 5. cap. 1. Alii igne adustum scribunt, Diaconus lib. 12. Sozomenus lib. 9. cap. ultimo. Theodoretus lib. 4. cap. 36. Alii Imperatoriô habitu mutato se in medium suorum peditum injecisse, ibique ce-*

*cidisse & jacuisse incognitum, Socrates lib. 4. cap. 31. Marcellinus lib. 31.*

Valentiniani Cæsaris atq; Valentis editum extat, (l. 26 C. de Decurion.) quò mandatur, ut, qui monasticam vitam sectantur, atque solitudinem, eaque ratione militiam & onera publica defugiunt, extrahantur è suis latibulis, & aut patriæ serviant, aut omnibus aliis commoditatibus careant, quæ post conferantur in eos, qui laborem & periculum pro Republicâ sustinent. Extat hæc lex in Codice Theodosianò, l. 12. tit. 1. lib. 26. Vide Augustinum de civitate Dei, lib. 18. c. 52. & ibi Vivem. Meminit etiam Paulus Diaconus lib. 12. & Jornandes Gothus lib. 1. Pertinet autem ad Monachos Ægypti, quibus fuit Valens pertinaciter infensus, ut Jacobus Cujacius annotavit. Consule annotationes Alciati in 10. librum Codicis Justiniani. §. In lege quidam ignavia: ubi Bartholi erroneam interpretationem refellit: Vide eundem Alciatum lib. 3. Disputationum, cap. 11.

Hostes deinde, circumfessâ Constantinopoli, ( Pomponius Letus. ) quum donis atque pecuniis essent ab Imperatore  
pla-

placati, discesserunt. *Ammianus lib. 31.*  
 & *Socrates lib. 5. cap. 1.* Barbaros à Sara-  
 cenis, preciò conductis, repulsos scribunt. *So-*  
*zomenus lib. 7. cap. 1.* *Paulus Diaconus*  
*lib. 12.*

VALENTINIANUS Cæsar, pacatâ Saxo-  
 niâ, filium suum GRATIANUM cooptarat  
 collegam. *Aurelius Victor, Diaconus lib. 12.*  
*Marcell. lib. 27.* *Socrates lib. 4. c. 10.* *Orosius*  
*lib. 7. cap. 34.*

Cum ergo tam Pater, quàm Patruus  
 Valens, mortem obiissent, Gratianus utri-  
 que succedit, quumque variis turbarum  
 fluctibus ageretur Respublica, THEO-  
 DOSIUM, belli ducem insignem allegit,  
 & ad Solem orientem misit. Is ad Con-  
 stantinopolim Hunnos fudit, atque Gothos  
 è Thraciæ finibus ejecit, *Socrates lib. 5.*  
*cap. 2.* & *Sozomenus lib. 7. cap. 2.* *Diaconus lib.*  
*12.* *Orosius lib. 7. cap. 34.* *Theodoretus lib. 5.*  
*cap. 5.* *Zosimus lib. 4.*

GRATIANUS deinde à quòdam suo  
 belli duce, MAXIMO, affectante Imperium,  
 per insidias fuit in Galliis interfectus.  
 [Annò Æra Vulgaris 382.] *Aurelius Victor,*



*Socrates lib. 5. cap. 11. Sozomenus lib. 7. cap. 13. Nicephorus lib. 12. cap. 19. & 20. Orosius lib. 7. cap. 34. Zosimus lib. 4. Diaconus lib. 12.*

Præceptorem habuit in literis Ausonium Burdegalensem, cujus extant poemata quædam, eumque tandem ad consularem dignitatem Romæ deduxit. *Exstat gratiarum actio Ausonii ad Gratianum Imperatorem, pro consulatu.*

Eodem propè fatò filius ejus VALENTINIANUS occubuit etiam, fraude sui familiaris Arbogasti. [*Annò Æræ Vulgaris 392.*] De hoc legitur oratio funebris Ambrosii, Episcopi Mediolanensis. Aurelius Victor. Orosius lib. 7. cap. 35. Diaconus lib. 3. Socrates lib. 5. cap. 24. Sozomenus lib. 7. cap. 22. Nicephorus lib. 12. cap. 38. 39. Hieronymus in Epitaphiò Nepotiani suffocatum & laqueo suspensum scribit. Fuit autem, Zosimò testis Arbogastus ex Francis Germanis oriundus.

Sed non tulerunt impunè percussores: Nam cæsi postea fuerunt uterque à THEODOSIO Cæsare, & MAXIMUS quidem captus Aquilejæ fuit interfectus, [*Annò Æræ Vulgaris 388.*] alter verò mortem sibi conscivit ipse.

ipse. [ *Annò Ære Vulgaris 394.* ] Augustinus l. 26. de Civitate DEI. De cade Maximi legatur Aurelius Victor. Orofius l. 7. c. 35. Diaconus l. 13. Socrates l. 5. c. 14, Sozomenus l. 7. c. 14. Theodoretus lib. 5. cap. 15. Nicephorus lib. 12. cap. 21.

Arbogasti, quem Zosimus & Suidas Francum, Diaconus è minoribus Gallis oriundum scribunt, interitum refert Aurelius. Diaconus lib. 13. Socrates lib. 5. cap. 24. Theodoretus lib. 5. cap. 24. Sozomenus lib. 7. cap. 24. Nicephorus lib. 12. cap. 38. & 39. Claudianus in Paneg.

Deletis ergò tyrannis, THEODOSIUS rerum potitus, Imperii socios constituit filios, HONORIUM & ARCADIUM, & quoniam ætate minores erant, duces ac velut moderatores illis attribuit, Arcadio RUFFINUM, Honorio STILICONEM, neque multò post vitam finiit. [ *Annò Ære Vulgaris 395.* ] Pomponius Letus. Aurelius Victor. Diaconus lib. 13. Socrates lib. 5. cap. ult. Theodoretus lib. 5. cap. 25. Sozomenus lib. 8. cap. 28. Nicephorus lib. 12. cap. 18. Zosimus lib. 4.

Ipsò jubente [ *Annò Ære Vulgaris 381.* ] CONSTANTINOPOLI fuit habita SYNODUS, (1. Tom. consil. pag. 727.) damnatumq; in ea

MACEDONII dogma, Divinitatem Spiritui sancto derogantis. *Socrates lib. 1. cap. 8. Sozomenus lib. 7. cap. 7. & 8. Augustinus de heresibus, cap. 52. Nixephorus lib. 12. cap. 18. Dist. 16. can. Primam autem Synodum, Basilius in expositione fidei Nicane, Macedoniū Pneumatomachum propterea nominatum scribit.*

Qui fuerunt ibi Patres, ad centum quinquaginta, sicut traditur, instituerunt Episcopos, tum ibi, tum *Antiochiæ*, quam vocant *seniorem & verè Catholicam Ecclesiam*, tum *Hierosolimæ*, quam *Ecclesiarum omnium matrem* esse dicunt, (*Theod. lib. 5. cap. 9.*) & hæc quidem acta sua perscribunt (*Tom. 1. conc. pag. 780. & seq.*) ad DAMASUM, Episcopum Romanum, qui conatus fuerat eos evocare Romam. *Theodoretus lib. 5. c. 8.*

Damaso fuit familiaris HIERONYMUS, quum esset juvenis. Ejus est dictum illud memorabile: (*In Epist. ad Evagrium, tom. 2. operum Hieronymi.*) *Ubicunque Episcopus fuerit, siue Romæ, si-*  
*ue*

*ve Eugubii sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandria, ejus de meriti est atq; sacerdotii.*

*Damasus Hieronymi operâ usus est in scripti-  
onibus Epistolarum Synodalium, ut Hierony-  
mus ipse scribit. Epistola ad Eustachium, idem  
ad Gerrontiam.*

Theodosius magnâ fuisse pietate fer-  
tur, & ab Episcopô Mediolanensi AMBR O-  
SIO reprehensus, adituqve templi prohibi-  
tus, patienter tulit. *Theodoretus lib. 5. cap. 17.  
Nicophorus lib. 12. c. 40. 41. Sozomenus lib. 7.  
cap. 24. Augustinus lib. 5. c. 26. de civitate Dei.  
Paulus Diaconus lib. 13. Zonaras tomo 3. Mi-  
chael Glycas Anal. part. 4. De hoc Ambro-  
si factô gravissimum exstat iudicium Thomæ  
Erasti, medici excellentissimi, qui illud ini-  
quum esse nec unquam veris & justis rationi-  
bus excusari posse. palàm affirmat. Vide Ru-  
dolphum Hospinianum, lib. 2. cap. 1. de origi-  
ne, & abusu templorum.*

ARCADIUS ad Orientem Solem Con-  
stantinopoli præerat: HONORIUS autem  
Romæ, sed RUFFINUS, ut imperium ad  
fe



se transferet, Gothorum regem clam hor-  
tabatur, ut Arcadio bellum faceret; intel-  
lectâ perfidiâ, Ruffinus à militibus truci-  
datur. [*Annô. Ære Vulgaris 395.*] *Socrates*  
*lib. 6. cap. 1. Sozomenus lib. 8. cap. 1. Nicepho-*  
*rus lib. 13. cap. 1. Zosimus lib. 5. Diaconus lib.*  
*13. cap. 1. Ruffinus fuit Gallus, teste Suidâ, in*  
*voce Theodosius.*

ARCADIUM Cæsarem INNOCENTIUS,  
ejus nominis primus, Episcopus Romanus,  
excommunicavit, *Nicephorus lib. 13. cap. 34.*  
quòd confenserat, ut JOHANNES CHRYSO-  
STOMUS ab Ecclesiâ suâ pelleretur, sicut in  
jure Pontificiò refertur. *Dist. 96. c. Dno sunt*  
*quippe. Videatur Glycas Annal. parte 4.*

Floruit tunc etiam AUGUSTINUS, Hip-  
ponensis Episcopus, qui concilio Cartha-  
ginensi tertio interfuit & quarto, [*Mortuus*  
*demum est Annô Ære Vulgaris 430.*] (*1.*  
*Tom. concil.*) ubi decretum inter alia fuit:  
*Ut Episcopus non longè ab Ec-*  
*clesiâ suâ hospitium habeat:*  
*Decret. Synodi Carthaginens. IV. can. 14. tomo*  
*1. concil. pag. 759.*

Item



Item, ut vilem suppellectilem & mensam, & victum pauperem habeat, (Dist. 41. c. Episcopus vilem,) & fidei vitæq; integritate sibi paret auctoritatē:  
(Decretorum Synodi Carthag. Can. 15.)

Ut rebus Ecclesie, tanquam commodatis, non tanquam propriis, utatur. Can. 13. pag. 760.

Augustino quoq; scripsit Innocentius I. & Aurelio, Carthaginensi Episcopo, & cohortatus ad mutuas preces, germanos vocat & consacerdotes. Epist. 10. Innocentii I. Tomo conciliorum 1. pag. 780.

Ab Innocentiō fuit Zosimus, qui Patrum & Antiquitatis decreta laudans, ne Romanæ quidem Sedi, sicut vocant, licere dicit, (25. q. 1. contra statuta) ut in iis aliquid mutet, aut contra statuat.

Morem quoque sui temporis insectatur & corrigit, (Distinct. 39. can. qui Ecclesiastic. & distinct. 59. can. qui Ecclesiast.)  
quod

quòd pleriq̄ve, nullis imbuti literis, ad sacerdotalem ordinem adspirabant. *Epist. 1. ad Hefychium, Salonitanum Episcopum, pag. 810.*

Zosimum excepit BONIFACIUS PRIMUS, erat tunc CARTHAGINE CONCILIUM sextum valdè frequens, cui & Augustinus interfuit. Eò missis legatis, Bonifacius ostendit, Synodum Nicenam sedi Romanæ tribuisse jus illud, ut ad ipsam ex omnibus provinciis undiq̄; provocaretur; (*Tomo 1. concil. in Actis concil. Carthag. sexti, pag. 818. Epist. hæc extat in actis Concilii Africani, capitulo 101. pag. 841.*) Petit igitur à Patribus, ut hoc ipsi quoque sanciant & confirment. Illi respondent, nihil ejusmodi fuisse Nicenæ decretum, quòd quidem ipsi sciant: veruntamen, ut certò res investigari posset atq; sciri, placuit ab Alexandrinâ & Constantinopolitanâ Ecclesiâ petendum esse verum ejus Synodi exemplar. Eò tandem allatò, deprehensum est, planè contrarium fuisse statutum, hoc videlicet, ut de suis causis quæque provincia cognosceret, & ab Episcopis ad Synodum provin-

ciæ

ciæ vel etiam ad OECUMENICUM, ut vocant, concilium provocaretur.

Erat tum Alexandrinus Episcopus CYRILLIUS. Antequam exemplar veniret, mortuus erat Bonifacius, cumque successor ejus CÆLESTINUS idem urgeret, responsum tulit juxta formulam decreti. C. 105.

Mortuo Arcadio [ *Annò Æra Vulgaris 408.* ] successit filius THEODOSIUS II, quò regnante & jubente, EPHESINA fuit habita SYNODUS, [ *Annò Æra Vulgaris 431.* ] in eâque damnatus NESTORIUS, qui CRISTUM natum esse DEUM ex Mariâ virgine negabat, AUGUSTINUS tunc è vitâ discessit. *Socrates lib. 7. cap. 32. & 33. Evagrius lib. 1. cap. 2. & seq. Nicephorus lib. 14. cap. 31. Augustinus obiit Hippone, non annò CHRISTI 449. ut ait Sigebertus in Chronicò, vel 446. ut Beda: sed 432. Diacon. lib. 14. sive 433. Prosper. in Chronicò. Liberatus, Archidiaconus Carthagenensis, scribit cap. 5. sui Breviarii, Augustinum ad hanc Synodum accersitum, sed morte preventum esse.*

Ab altera parte STILICO, tutor Honorii, perfidiosè rem etiam egit, uti Ruffinus, (*Diaconus lib. 13.*) & cùm in Galliâ domicilium sedemq; Gothis tribuisset, commovit illos, ut in Italiam ingressi, duce ALARICO, Romam caperent, quod fuit annò conditæ Urbis MCLXII. post CHRISTUM verò natum CCCCXII. *Augustinus lib. 1. cap. 1. de civitate Dei Jordanes lib. 2. Sozomenus lib. 9. cap. 9. Orosius lib. 7. cap. 38. Paulus Amilius lib. 1. Michael Ritus de Regibus Hispaniæ, lib. 1. Egnatius lib. 1. Principum Roman.*

Romæ paucis diebus GOTHII commorati, cum Rhegium venissent populabundi, ac in Siciliam trajicerent, naufragium fecerunt, extincto etiam Rege.

Cùm deinde multa Stilico nequiter faceret & insidiosè, quò suum ad Filium EUCHERIUM Imperii summam transferret, intellectâ fraude captus, & HONORII jussu fuit interfectus. [*Annò Æræ Vulgaris 408.*] *Diaconus lib. 13. Orosius lib. 7. cap. 37, Sozomenus lib. 9. cap. 4. Zosimus lib. 5.*

Alaricò rege mortuò, [*Annò Æræ Vul.*

*Vulgaris 411.*] Gothi regem sibi sumserunt ADOLFUM, ejus propinquum, eoque duce, Romam redeunt, & quod reliquum erat, absument. *Adolphus hic Alarico affinis fuit, conjugis nempe frater, ut Zosimus innuit, Diaconus Athaulphum, Orosius Autalphum vocat. Vid. Procop. lib. 1. de bellô Vand. Diaconus lib. 13. Orosius lib. 7. cap. 43. Jornandes.*

Eo interfecto, regnavit GENSERICUS, & hoc sublato, WALLIS, cum quo CONSTANTINUS, Honorii per Gallias legatus & fororius, ac deinde imperii socius, amicitiam & foedus iniit, concessa illi Aquitania, Galliae parte, quam inhabitaret. *Orosius lib. 7. cap. ult. Diaconus lib. 14. Jornandes lib. 2. Prosper in Chronicis. Blond. l. 2. Dec. 1.*

Vexabant tum BRITANNIAM Scoti & Picti, verum auxiliis, ab Honorio Caesare missis, profligati fuerunt. [*Annô Aerae Vulgaris 429.*] Per Hispaniam quoque VANDALI & ALANI, GENSERICO duce, grassabantur. *Procopius de bellô Vandalicô, lib. 1. Paulus Diaconus lib. 14. Sozomenus lib. 9. cap. 2.*

Hono-



Honorio tandem Romæ mortuo  
 [ *Annô Æræ Vulgaris 423.* ] successit ad Occidentem Solem atqve Romæ VALENTINIANUS, sororis filius, ( *Procopius lib. belli Vandal.* ) cum interim THEODOSIUS, Arcadii filius, ut supra diximus, alteram mundi plagam Constantinopoli gubernaret.

Ad hoc tempus Vandali & Alani, infidiis & factionibus Romanorum ducum, qui per Africam erant, invitati, penetrarunt ex Hispaniis in AFRICAM, [ *Annô Æræ Vulgaris 427.* ] ferroqve regionem atqve flammâ vastabant, ( *Procopius lib. 1. belli Vandal. Diaconus lib. 14. Jornandes lib. 2.* ) Ab eâ clade pars quædam Africæ fuit illis ad habitandum attributa. *Sigebertus Diaconus lib. 14.*

GOTHI, qui Galliam Aquitaniam incolebant, Honorii Cæsaris voluntate atqve permissu, ut paulò ante diximus, non contenti suis finibus, vim & injuriam inferebant vicinis, & NARBONEM obsidione fatigabant, ( *Jornandes lib. 2.* ) sed missus eo cum copiis LITORIUS oppidum obsidione libera-

beravit, annonam intulit, & commissiō præliō feliciter primò pugnabat: pòst autem, totò ferrè exercitu deletò, captus est, [*Annò Æræ Vulgaris 439.*] tantaqve fuit ea clades, ut populus Romanus pacem orare cogeretur. *Diaconus lib. 14. Prosper in Chron.*

Wandalorum etiam rex GENSERICUS. pace violatâ, quam cum Romanis in Aphricâ fecerat, ut antea diximus, (*Diaconus l. 14. Prosper in Chronicò*, (CARTHAGINEM ex improvissò capit, [*Annò eòdem*] ac multa crudeliter ibi facit: quæ quidem civitas per annos quingentos octoginta quinque Populi Romani tum fuerat. *Urspergensis.*

Occupatâ Carthagine, in Siciliam trajicit, magnisque cladibus eam afficit. (*Diaconus lib. 14.*) Tum demum instructâ classe Theodosius Imperator bellum in Wandalos movebat: sed cum eòdem tempore [*Circa annum Æræ Vulgaris 442.*] HUNNI Thraciam & illyricum vastarent, exercitus è Sicilia fuit ad ea loca propugnanda revocatus.

Faciebant tunc denuò impressionem in Britanniam Picti atqve Scoti: cumq; de Roma-

Romanorum auxiliis Britanni desperarent, ab ANGLIS, populò SAXONIÆ, opem petunt, [*Annò Æræ Vulgaris 449.*] (*Paulus Diaconus lib. 14. Polydorus hist. Anglicæ lib. 3. Beda lib. 1. Anglicæ hist. Buchananus rerum Scotic. lib. 2.*) Sed hi, pulchritudine regionis allecti, cum paulatim majoribus copiis eò adnavigassent, maximam Insulæ partem suæ ditionis fecerunt, Britannis oppressis. *Crantzius Saxon. lib. 1. cap. 18. Gregorius Lilius in Chronicò Angliæ Regum.*

Non multò post [*Annò Æræ Vulgaris 450.*] Constantinopoli mortuus est Theodosius II. Eò regnante Solis deliquium fuisse traditur, & apparuisse Cometa, inde ab Idibus ferè Juliis ad mensem usque Septembrem. *Diaconus lib. 14. Evagrius lib. 2. cap. 1. Nicephorus lib. 15. cap. 1.*

Theodosio ad Orientem Solem successit MARTIANUS. De Genserico, Vandalorum rege, supra dixim⁹; cum eo pacem fecit VALENTINIANUS, divisâ inter ipsos Africâ. *Diaconus lib. 15. Procopius lib. 1. belli Vand.*

Circiter hoc tempus ATILA rex Hunnorum, qui, Daciâ & Pannoniâ occupatâ,  
vici-

vicinas regiones, Macedoniam, Mysiam, Thraciam, crudelissimè vastabat, ad occupandam Imperii Romani partem, quæ est ad Occidentem Solem, animum adiecit : (*Procop. l. 1. belli Vand. Diac. lib. 15. Bonfinius lib. 3. dec. 1. Blondus 1. decad. l. 2, Callimachus in Attilâ*) Et quoniam ejus belli summam fore difficultatem videbat, siquidem GOTHII, qui tum pacem cum Romanis colebant, & Galliæ partem inhabitabant, ut supra dictum est, (*Jornandes l. 2. Diac. l. 15.*) auxilia Romanis ferrent : idcirco missis legatis amicitiam eorum atque fœdus expe-tebat : verum A ETIUS, Valentiniani Cæsaris legatus, huic rei prævertit, & cum THEODORICO, Gothorum rege, firmatò fœdere, totum se comparabat ad bellum.

Attila nihilo secius progreditur : (*Diacon. lib. 15. Jornandes lib. 2.*) fit prælium [ *Annò Æræ Vulgaris 451.* ] longè maximum in campis Catalaunicis, quæ quidem Galliæ pars, propter ingentem planiciem, hodie vocatur Campania. (*Jornandes campos Maurios, Frenciphus Mauriacos vocat.*)



Cecidisse in eô præliô feruntur CLXXX. hominum millia : in his etiam Gothorum rex Theodoricus occubuit. (*Gregor. Turonensis lib. 2. cap. 7.*)

Victus autem Attila, seipsum interficere cogitabat, ne vivus in potestatem hostis veniret: sed cum Theodorici regis filius, Aetii ducis consilium secutus, cum suis copiis domum rediret, ut mortuô parenti succederet, Attila colligendi sui spacium adeptus, in Pannoniam redit, & novis collectis copiis, iræ plenus, Italiam ingreditur. (*Pomponius Letus. Procop. libr. 1. belli Vand.*) Aquilejam urbem, obsidione diuturnâ fatigatam, demum expugnat, diripit, incendit: Inde Concordiam, Patavium, Vicentiam, Veronam, Brixiam, Bergomum, Mediolanum, & Papiam capit: postea grassatus per Flaminiam, castra tandem facit ad Mincii confluentem atque Padi. (*Diacon. lib. 5. Bonfinius dec. 1. lib. 7. Olaus in Attil. c. 5.*) Quô quidem, in locô, quum deliberaret, an Romanam iturus esset cum exercitu, LEO I. venit ad ipsum, urbis Romæ Episcopus, ejus nominis primus, idque per-



perfectit, ut, mutatâ voluntate, non solum non Romam peteret, verum etiam, Italiâ omni relictâ, rediret in Pannoniam. [ *Annô Æræ Vulg. 453.* ] ubi non multò post vitam finiit: *De Attila interitu refert ex priscô Historico Jornandes l. 2. Jovius lib. 1. Elogiorum.*

Hic est Leo ille, cujus exstant Epistolæ (2. Tomo conc. p. 40.) complures ad Theodosium II. & Martianum Impp. in quibus partim excusat, quâ morbem ad concilia venire non possit, ab illis indicta, & deprecatur, ne molestè ferant, quod legatos eò mittat; partim etiam orat, (*Ep. 9. ad Theodosium p. 32.*) ut in Italiâ potius, quàm in Asiâ, concilii locum designent: Sed nihil impetravit. *Vide Epist. 23. 24. 31. &c. p. 44. & seqq. 2. tom. ô concil.*

Dum per Italiam ita sæviret Attila, VENETORUM URBS condita fuit, quando ex vicinis locis plerique potentiores in illa maris æstuarium, & insulas, tumulosque veluti in portum aliquem, sese receperunt. *Volater. l. 4. Geograph. Blondus Decad. 1. l. 3. Sabellicus de rebus Venetis Decad. 1. l. 1. Anton. Bonfin. Decad. 1. lib. 6.*

Humile fuit igitur ac propè desperatum & calamitosum hujus urbis initium, & nunc in tantam, uti videmus, amplitudinem excrevit. Octoginta quinque numerantur illorum Duces, ad hoc usque tempus, ex iis primus fuit PAULUS ANAZATUS, annò salutis septingentesimò sextò, quum ante ducentos quinquaginta duos annos urbs ædificari cœpta fuisset. *In historiâ ducum Venetorum à Petrò Marcellò Venetò, Sylvestrò Gyrellò & Hieronymò Kelnerò edita, hic dux vocatur Paulutius Anafestus, & initium Imperii illius collocatur in annum 697. à CHRISTO natò, quem faciunt urbis condite annum 282. De numerò etiam variant, 84. enim usque ad illud tempus, quò hæc à Sleidanò scripta sunt, Duces recensent.*

Intefectò postea Valentinianò [ *Annò Ære Vulgaris 455.* ] ( *Diac. lib. 12.* ) Wandalorum Rex GENSERICUS, classè devectus in Italiam ex Aphricâ, cum exercitu longè maximò, & adjutus à Mauris, Romam contendit, & urbem probè desertam ab omnibus capit : ( *Procop. de bellò Vand. lib. 5.* ) Sed exoratus à  
Leo-

Leone Episcopo, qui & Attilam placaverat, ut diximus, ab incendiis abstinuit atque cæde. *Jornandes, Evagrius lib. 5. cap. 7. Urspergensis.*

Direptâ urbe, captivi maximô numero Carthaginem deportati sunt. Hostes deinde Campaniam magnis calamitatibus afficiunt, Capuam, Nolam, Neapolim aliasque civitates evertunt: superstites à cæde conjiciunt in catenas, & opibus Italiæ facti divites, in Africam revertuntur. *Diaconus lib. 15. Procop. de bellô Vand. l. 1. Ursperg.*

MARTIANUS ad Orientem Solem Imperator, pacem coluit naturâ quietus: ac dicere solebat, quândiu pacatè vivere liceret, non esse principi decorum, ut arma sumat. *Pompon. Letus. Egnatius lib. 2. de Rom. Principibus.*

Ipsô regnante & jubente [*Annô Ære Vulg. 451.*] Chalcedone fuit coactum concilium amplissimum, & damnatus Eutyches, duas naturas in CHRISTO confundens. *Evagrius lib. 2. cap. 2. Nicephorus lib. 15. cap. c. 2. 3. 4. &c. Diaconus lib. 15. Tomô 2. Concil. p. 119.*

Ibi decretum inter alia fuit, ne quis clericus, uti vocant, in duarum civitatum Ecclesiis recipiatur. *10. Canone Docretorum concilii Chalcedonensis. 2. Tomo concil. pag. 327. Extat. 21. quest. 1. Clericum in duarum.*

Non erat nota tunc temporis illa, quæ dicitur, pluralitas beneficiorum, quæ nunc sic inolevit, ut nihil sit eâ frequentius. Et nostrâ quidem ferè memoriâ consuetudo illa, inter alias Ecclesiæ maculas, obrepfit, ut uni duos attribueret Pontifex Episcopatus. Quod si jam eum, qui superiori proximâ ætate fuit, hæc in parte, morem restitueret, officium suum faceret. Sed quoniam id ferre non potest, an putamus, unquam esse permissurum, uti juxta sacras litteras & Apostolorum, atque primi temporis decreta, res emendentur? Nimirum frustra laborant, qui facta Paparum ad antiqva Religionis rationem exquirunt.

Imperii annô septimô [ *Æra Vulg. Annô 457.* ] Martianus mortuus est, eiqve LEO successit. Romæ autem & ad Solem Occidentem, ubi Româ captâ, Gensericus

ricus in Aphricam revertisset, Valentiniano successit AVITUS, [ *An. Ær. Vulg. 455.* ] deinde MAJORANUS, [ *An. Ær. Vulg. 457.* ] postea SEVERUS, [ *Annò Æræ Vulg. 461.* ] ab hoc ANTHEMIUS. [ *An. Ær. Vulg. 467.* ] post alii parùm celebres. *De his Diaconus lib. 15. Evagrius l. 2. c. 7. Jornand. lib. 1. Procop. l. 1. belli Van.* qui mutuis lanienis & infidiis interierunt, neque diu regnarunt, adeò quidem, ut jam altera pars Imperii Romani versus Occidentem Solem valdè esset afflicta. *Evagrius. l. 2. c. 16.*

De Leone I. Cæsare nihil memorabile proditum est: ( *Jornandes l. 2.* ) nisi quòd cum Gothis, Illyricum vastantibus, amicitiam atque fœdus iniit.

Extant ad ipsum quoque Leonis Episcopi Romani una & altera Epistola. *Tom. 2. conc. Epist. 71. 72. 73. 76. &c. p. 10. & seqq.* Successorem habuit, [ *Annò Ær. Vulg. 474.* ] ZENONEM ISAURICUM.

Inter eos, qui Romæ præfuerunt, à morte Valentiniani, fuit etiam AUGUSTULUS quidam. *De Romulò, Orestis filio. qui Augustuli cognomen fuit, scribit Pro-*



*copius de bellô Vandal. lib. 1. & de bellô Gothi-  
cô l. 1. Evagrius lib. 2. c. 16. Jornandes l. 1. Pom-  
pon. Letus.*

Ad hoc tempus, [*Annô Ære Vulg. 476.*]  
ODOACER, cum ingenti manu HERU-  
LORUM, & SCIRORUM, ex Pannoniâ I-  
taliâ invadit: (*Jornandes lib. 2. Sigebor-  
tus.*) ORESTEM, patricium Romanum,  
qui Papiam cum suis copiis sese receperat,  
capit & occidit, oppidum diripit & incen-  
dit: progressus, omnem regionem usque  
Romam occupat: AUGUSTULUS [*An-  
eodem 476.*] animo fractus, Imperium spon-  
te deponit: Odoacer urbem ingreditur,  
& Italiæ regnum adeptus, per annos XIV.  
nullô resistente, præfuit. *Procopius de bellô  
Goth. l. 1. Leonh. Aretinus de bellô Goth. l. 1.  
Blond. decad. 1. lib. 2. Bonfin. decad. l. 7.*

Tunc demum THEODORICUS O-  
strogothorum rex, missus à Zenone Imp.  
& Constantinopoli profectus Gepidos &  
Bulgaros resistentes vincit. (*Procop. belli  
Gothici l. 1. Jornandes l. 1. & 2.* Deinde per  
Myfiam & Pannoniam iter faciens, in  
Italiâ accedit, & non procul ab Aqvile-  
ja

leja castra ponit : quò postquam & ODOACER venisset, summis copiis dimittitur; [*Annò Æræ Vulgaris 490.*] victus Odoacer in fugam conjicitur : sed recollectis copiis, denuò præliatur non procul à Veronâ, iterumqve victus & quamplurimis desideratis, qui partim in conflictu, partim in Athesi flumine perierant, Romam fugiens contendit. Illinc exclusus, vastatò circum agrò, Ravennam venit, ibi per triennium ferè circumfessus, ac deditone tandem captus, interficitur. [*Annò Æræ Vulg. 49.*] *Arotinus l. 1.*

Theodoricus, Odoacrò sublatò, factus Italiae Dominus, Romam venit, ibiqve Concilium (*Diac. l. 15. Tomo 2. conc. p. 472. & seqq.*) habuit unum & alterum Episcoporum, quos ex diversis Italiae provinciis eò convocaverat, ut de SYMMACHI causâ cognoscerent Episcopi Romani, quem pleriqve repudiabant, ut indignum & vitiò creatum. *Centuria 6. Historia Magdeburg. c. 19. de Synodis.*

Theodoricus hic fuit Arrianus, ut quidem Pontificiorum libri dicunt. *Jan.*

*I. Papa in Epistola ad Episcop. Italiae, tomò concil. 2. p. 534.*

Est autem ille, qui cognomine dicitur VERONENSIS, Theodorici illius, qui in præliò contra Hunnorum regem Attilam occubuit, ut supra dictum est, propinquus,

Odoacer erat Rugus, (*Irenicus l. 3. c. 2.*) qui est ad mare Balthicum, Germaniæ populus. *Tacitus in Germaniâ, & in eum Althamerus, Godofridus Viterbiensis perperam Odoacrum Ruthenorum ducem nominat.*

Theodoricus, muniendi sui causâ, Wandalorum, Visigothorum, & Burgundionum reges per affinitatem sibi conciliavit. *Procop. lib. 1. belli Gothici, Jornandes l. 2. Frisingensis lib. 5. c. 1.*

Dum hæc in Italiâ geruntur, magni fuerunt motus per Thraicam, Aphricam, BRITANNIAM, in quâ superiores tandem extiterunt SAXONES.

Zenoni, mortuo Constantinopoli, succedit ANASTASIUS, [*Annò Ær. V. 491.*] Is nonnullos fovebat, qui dogma probabant Eutyichianum: ideoque dissidium ei fuit

fuit cum Episcopò Romanò GELASIO, qui literis prolixis ( 2. Tomo concil. Epistole initium : *Famuli vestre pietatis. pag. 445.* ) eum dehortatur, ut quidem ipsorum habent libri, ne tutelam eorum suscipiat; duo enim esse præcipuè, quibus hic mundus gubernetur, Sacram Pontificum auctoritatem, & potestatem Regalem, (*Dist. 6. cap. duo quippe.*) & Sacerdotibus quidem eò plus oneris incumbere, quod aliorum etiam nomine, DEO sint aliquando reddituri rationem: ipsum quidem civili præesse politix, sed tamen subjici sacrorum ministris, & ab eorum pendere judiciò: cumque sacerdotes legibus politicis obtemperent, æquum esse, ut ipse vicissim non recuset ea, quæ rerum divinarum antistites decernunt: & quum hic honos omnibus Ecclesiæ ministris debeat impendi, rem ipsam postulare, ut ei cum primis deferatur, quem & suâ voce DEUS, & Ecclesiæ deinde consensus toti sacerdotum ordini voluit præesse: desistat igitur, & in hâc vitâ deprecatorem se potius audiat, quam in alterâ sentiat accusatorem.



Subjungitur postea decretum ejus de sacris Bibliis, in eoque Sedi ROMANÆ, quam vocant, tribuit principatum, post ALEXANDRIÆ, tertium locum dat ANTIOCHIÆ. *Secundò tomò conc. In Decretis Gelasii, tit. Ordò librorum veteris testamenti. §. Post propheticas. p. 460.*

Regnante Anastasiò, turbæ fuerunt & bellici motus per Ciliciam, sed sedati, oppressò autore. *Autor hujus seditionis fuit Vitalianus Thrax, qui jussu populi, Imperatori, propter heresin Eutychianam, rebellavit, Zon. tomo 3. Paulus Diacon. libr. 15. Pompon. Letus.*

HUNNI tum etiam vastabant Armeniam & Cappadociam, GETÆ verò Macedoniam, Thessaliam, Epirum: utrosq; Cæsar coactus est præmiis & maximis jacturis placare: *Evagrins l. 3. c. 43. Niceph. l. 16. c. 38.*

Hòc ferè tempore, quod erat annò salutis quingentesimò (*Sigebert. Diac. l. 15.*) Rex Francorum CLODOVEUS, Christi religionem primus fuit amplexus, quum sæpè multumqve fuisset ab uxore, quæ familiæ Burgundicæ erat, sollicitatus, ut  
id



id faceret: relictis idolis atqve superstitione. *Gregor. Turonensis l. 2. cap. 29. 30. & 31. Adon. Viennens. etate 6. Robertus Gaguinus lib. 2. cap. 3. Hist. Franc. Æmilius Hist. Franc. l. 1. Michael Reticus de Regib. Francorum l. 1.*

CONCLIUM exstat AURELIANENSE, tringinta trium Episcoporum Gallorum, habitum ipsò regnante: (*Vincentius lib. 21. cap. 23. tom. 2. Concilior. Canone 4. pag. 511.*) quò statuitur inter alia, *si raptor virginis confugerit ad templum, etiamsi vim puella fecerit, ne mortis adeat discrimen, sed vel servili sit conditione, vel ab eâ sese redimat.* 36. quest. 1. *De raptoribus autem.*

Anastasium, fulmine extinctum, [*Annò Ar. Vulg. 518.*] vel, ut Jus Pontificium ait, emissis intestinis exanimatum, (*Paulus Diaconus lib. 15. Pompon. Lætus.*) JUSTINNUS excepit, obscurò genere natus, & è subulcò factus miles, ut scribitur.

*Lapsus hic est memoria Sleidanus: Nam capitulum Anastasius, Dist. 19. quò hic locus respicit, loquitur de Anastasiò Papa, qui Photinum & Acatium hereticos fovit, & ob id divinò judiciò percussus creditur. Nam ut glossa dicti capituli refert, dum assellaret, emisit intestina.*

Diffidium huic erat cum THEODORICO, Gothorum rege, Italiae dominò, propter diversam religionem: Sed ab armis tamen temperatum fuit.

Mortuò deinde Theodorico [*Annò Ær. Vulg. 526.*] successit ALARICUS, è filiò nepos, magnà Gothoram alacritate atque studiò. *Proc. de bellò Goth. lib. 1. Jornandes l. 2. Leon. Aretinus l. 1.*

Erat tuuc Episcopus Romæ, JOHANNES, ejus nominis I. hic à Theodoricò rege, quem diximus, Constantinopolim fuit missus Legatus, cum aliis (*Niceph. lib. 17. c. 9. Paulus Diaconus lib. 15.*) & exceptis honorificentissimè, sicut ipsorum habent libri, non à populo tantum, sed ab ipsò quoque Cæsare. Nam summà latitià fuisse dicunt  
 affe-

affectos, quod beati Petri vicarium, uti loquuntur, (2. Tomo concil. in vitâ Johannis pag. 532.) nunc demum Græciæ contingeret videre & suscipere, quod inde à Constantini Magni tempore, & à Sylvestrô datum ipsis non fuisset. Illud autem de Sylvestrô mirum est, cur dicant, quum Græciam non adierit, ut constat: (*Sozomen l. 1. c. 16. & alii.*) Nam tunc, cum imprimis oportuit & opus erat, nimirum in Synodô Nicena, non se commovit, sed legatos eò misit Victorem atque Vincentium: & alteram ipse post hâuit Romæ, sicuti tradunt, quâ concilii Niceni decreta confirmat. *Sozomenus Vitum & Vincentium legatos nominat.*

Extat etiam Johannis primi ad Episcopos Italiae consolatoria quædam epistola, quæ monet eos, quancquam rex Theodoricus, hæresi pollutus Arrianâ, vastitatem ipsis & toti minifetur Italiae, ne tamen ab institutô desistant, sed fortiter agant. *Epistol. 2. Johannis I. Papæ ad Episcopos Italiae, de Theodoricô Rege, 2. Tomo concil. pag. 534.*

Post Justinum factus est Imperator JUSTINIANUS, sororis Justini filius.

(Annô

[*An. Ær. Vulg.* 527.] *Diacon.* l. 16. *Evagrius* l. 4. c. 8. *Niceph.* l. 17. c. . *Pompon. Letus & alii.*

Is ad restaurandam Rempublicam animum adjecit & initio quidem toti administrationi BELISARIUM præfecit. (*Diacon.* l. 10.) Is Persas, egressos extra fines ac Romanorum ditioni vim adferentes, magnis præliis vicit, Illyricum à Gepidis & Bulgaris vastatum, liberat : (*Procop. de Bellô Pers.* l. 1. & 2. & *de bellô Vand.*) Parthos belligerantes ad amicitiam adducit : Wandalorum maximas copias in Africâ fundit : [*Annô Æ. Vulg.* 534.] Regem capit : Carthaginem recuperat : inde transgressus in Siciliam, accepto nuntio de rebellionem per Africam, eò reversus feliciter remgerit, *Zonaras* tomo 3.

Tunc demum in Italiam profectus, Neapolim occupat, diripit, Gothosque fundit, (*Procop. de bellô Gothicô.* l. 1.) quorum rex tum erat THEODATUS, *Fuit hic Theodorici Veronensis ex sorore Amelfredâ nepos, propter ingratitude autem erga Amalofuntham à Gothis interemptus est, annô regni tertiô. (Æræ Vulg. 536.)*  
*Apud*

*Apud Cassiodorum l. 10. Epist. 3. Theodohadus nominatur; ibidem reperies ejus encomium.*

Posteà Romam venit, amanter ab omnibus exceptus & honorificè: illinc digressus, oppida passim & munitiones occupat, & in his Perusiam: post obsidet Ravennam: (*Procop. l. 2.*) ibi congressus cum eo VITIGES Gothorum rex, amissò exercitu capitur, Constantinopolim ductus à Belisariò (*Annò Ær. V. 540.*) *Diaconus lib. 6. Jornandes lib. 1. Sigebertus Blendus dec. 1. l. 5.*

Gothi redintegrâtes viribus, in regione Transpadanâ regem sibi sumunt HILDEBRANDUM, Pomponius Letus *Hildebrandum, Procop. Thendibaldum vocat. Sequitur eum Diaconus: Sigeberto Eldebudes indigitatur.*

Huic successit unus & alter, ac deinde TOTILAS, (*Annò Ær. Vulg. 642.*) Is absente Belisariò, per totam Italiam grassatus, Romam obsessam capit, diripit, incendit. *Procop. l. 3. belli Gothici. Evagrius lib. 4. cap. 20. Sabellicus En. 8. l. 3. Blond. dec. 1. l. 6.*

Itaque



Itaque revocatus BELISARIUS, confectô bellô Parthorum, qui Syriam denuò vastabant, revertitur in Italiam, & urbem propè desertam recreat. Inde cum hoste congressus, feliciter præliatur, & annonæ causâ, navigans in Siciliam à Justinianô revocatur, quæ quidem res occasionem Totilæ præbuit, ut restauratis viribus, Romam rediret. *Totilas Jornandi Badiula seu potius Dadiula nominatur l. 1.*

Cæsar deinde NARSETEM Eunuchum Italico bello præficit, qui Gothos omni expulit Italiâ (*Procop. de bellô Gothico lib. 3. Agathias in suâ histor. Gothicâ.*) quod eò facilius fuit, cum Totilam Regem [*Annô Br. Vulg. 553.*] ex vulnere mortuum illi amisissent, *Pomp. Let.*

Bellum illud Gothicum, in annos octodecim fuit productum *Procop. l. 3. belli Gothici. Sabell. Ennead. 8. l. 4. Blondus Decad. 1. l. 7.*

Justinianus ergò, recuperatâ Italiâ & Africâ, quum ex filiâ nepotem JUSTINUM Imperii socium assumisset, mortem obiit. [*Annô Æ. V. 565.*]

Sunt qui socordis ingenii principem &  
uxoris

uxoris imperio THEODORÆ subiectum fuisse tradunt. *Suidas literarum rudens fuisse scribit. Zonar. tom. 3. scribit eum a deò immodicò edificandi studiò flagrâsse, ut stipendia artium liberalium magistris jam olim constituta sustulerit, ut haberet sumptus, quos in edificationes profunderet.*

Erat apud eum in summâ gratiâ TRIBONIANUS Jureconsultus, qui, veterum scriptis ac disputationibus abolitis, legum centones ex illis collegit, & fragmenta nobis tantum reliquit, quæ nunc Pandectarum nomine censentur. Ejus autem operis quosdam habuit adjuutores, qui passim nominantur. *Constitutione Deo auctore §. Et ad tue 3. §. jubemus 4. §. sed Et 7. constit. omnem §. nos verò 2. vers. Et primò §. discipuli 6. const. Tanta circa in pr. Et §. quæ omnia 9. §. sed cum 11. vers. Et ideò vers. admonuimus. const. Dedit nobis §. quæ omnia 9. §. sed cum 11.*

Idem postea fecit in Principum re-scriptis atque legibus, quas tribus libris comprehensas GREGORIANO, HERMOGENIANO, THEODOSIANO contraxit in unum volu-

volumen, & Justinianeuum codicem vocat, usus aliorum operâ, quos in ejus libri præfatione Cæsar enumerat. *Const. hæc quæ s. ideoque 1. de novo cod. conf.*

Sunt authores, qui Tribonianum fuisse hominem avarum, & præciò fixisse leges, ut ille ait, (*Virgil. 6. Æn.*) ac refixisse tradunt. *Procop. l. 1. de bellò Persicò. Suidas in dictione Tribonianus. Alciatus disputation. l. 4. cap. 7. Ægidius Perinuus. Aromarensis in vitâ Justiniani Imp.*

In eò, quem diximus, Codice, quàm plurimæ sunt Justiniani leges, quæ superioribus derogant. (*ut sunt 50, decis. quæ cognoscuntur vel ex inscriptione, vel ex subscriptione. Vide & Const. cordi nobis s. 1. de emendatione eod.*) accessit etiam opus peculiare, NOVELLARUM constitutionum, quod per omnia Justiniani nomen atque titulum habet. *Const. cordi nobis s. his igitur 4. in fin. de emend. C. domini Justin.*

Eum quem dixi, BELISARIUM, quò duce tot tamq; gloriosas consecutus erat victorias, ignominiosissimè tractavit Cæsar, & valdè senem excæcavit etiam.

*Tzetzes Chiliad. 4. Variar. hist. Habet idem Petrus Crinitus l. 9. c. 6. de honestâ disciplinâ, & Johannes Jovianus Pontanus l. 2. de fortitudine domesticâ c. 8. Alciatus verò l. 4. paregon. c. 44. totum hoc falsum esse demonstrare conatur. Virtutes Belisarii commemorat Suidas, in voce Belisarij. Origine Germanum fuisse docet proœmium Joan. Leonclavii in Zosimum.*

Ipso regnante, Constantinopoli fuerunt aliquod habitæ Synodi (*Evagrius l. 4. cap. 34. Niceph. lib. 17. cap. 27. & 28.*) quibus MENNA præerat, ejus urbis Patriarcha, qui Sanctissimus & Beatissimus vocatur & Oecumenicus, ut ipsorum habent libri, Tomo 2. Concilior Synodi Quintæ Constantinopol. Actione, 2. factæ à Mennâ Patriarchâ Constantinop. & alii.

Initio Codicis Epistola (*l. inter claras. 8. §. reddentes honorem l. de summa trin.*) ponitur Cæsaris ad Johannem Archiepiscopum urbis Romæ, quâ caput ipsum vocat omnium Ecclesiarum, eiqve subjicit omnia. Porro, quanquam homines docti commentitiam esse judicant, tamen, etiamsi vera esset, certum est, con-

tro-



troverſiam illam durâſſe multis poſt an-  
 nis, donec tandem Epifcopi Romani fa-  
 cultatibus amplificati, pervincerent, & in  
 Eccleſiæ poſſeſſione ſibi conſtituerent ar-  
 cem quæ manibus hominum exædificata,  
 ſeu favore principum, nunc titulum habet  
 quaſi divinitus eò ſit collocata. *De Epifto-  
 lis mutuis Juſtiniani Imperatoris & Johanni  
 Pape Romani dubitatum fuit omnibus tem-  
 poribus. Legatur Alciatus l. 5. parerg. cap. 23.  
 Cujacius obſerv. 32. c. 26. Franciſcus Hoto-  
 mannus lib. obſerv. 7. c. 2.*

Diximus antea, quemadmodum Au-  
 guſtini tempore SEXTUM fuerit habi-  
 tum CARTHAGINE CONCILI-  
 UM, in eòque fraus deprehenſa Papparum  
 Bonifacii primi & Cæleſtini, quando Ni-  
 cææ conſtitutum fuiſſe dicebant, ut ad i-  
 pſos ex omnibus ubiqve locis provocare-  
 tur, Juſtiniani verò tempore Romæ erat E-  
 piſcopus, BONIFACIUS II. Hujus extat  
 Epiftoſa ( 2. Tom. concil. ad Eulalium Ale-  
 xand. Epifcop. p. 544. ) quâ graviter taxat  
 AURELIUM, qui ſuperiori Concilio,  
 Carthaginiſ fuerat Epifcopus, eumque  
 cum



cum suis collegis unpugnâsse Romanam Ecclesiam ait, instigante Diabolô, simul Deo gratias agit, quòd hujus temporis Episcopus Eulalius Aurelii successor, cum Ecclesiâ Romanâ rediret in gratiam. Deinde scriptum Eulalii recitat, quòd profitetur ille, se damnare suos Majores & Successores, quicunq; sanctæ Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ privilegia labefactare conantur.

Alter à Bonificiô, AGAPETUS, ANTHEMIUM Patriarcham Constantinopolitanum locô removit, [*Annô Ær. V. 536.*] negantem duas naturas in Christô: (*Niceph. lib. 17. cap. 9.*) tulit hoc imprimis ægrè THEODORA, Cæsaris uxor & SYLVERIUM Agapeti successorem monuit per Belisarium, ut illum restitueret: (*Diacon. lib. 16.*) cum etiam aliæ quædam criminationes accederent, Belisarius eum locô dejicit, & in exilium mittit, subrogatô VIGILIO, [*An. sequ.*] sed cum & iste, Constantinopolim evocatus, Anthemium nollet revocare, consimili pœnâ fuit multatus. (*Niceph. lib. 17. cap. 10. variat.*) Unde satis apparet, quomodo in Cæsarum

rum tunc potestate fuerint urbis Romæ  
Episcopi. *Procopius Sylverium relegatum*  
*scribit propter suspicionem defectionis ad Go-*  
*thos l. 1. belli Gothici. Blondus l. 7. Decad. 1.*  
*Vigilium carceri inclusum, socios partim rele-*  
*gatos, partim ad metalla damnatos, tandem*  
*tamen liberatos esse, commemorat.*

Justinô II. Cæsare, renovatum est bel-  
lum Persicum, quod cum primùm feliciter  
gereretur, Cæsaris legatus ARCHELAUS,  
pacem, denuò fecit; *Diaconus l. 17. Eua-*  
*grius l. 1. c. 7.*

NARSES, Cæsaris per Italiam legatus,  
expulsis Gothis & mortuô Totilâ, per an-  
nos XVI. obtinuit Italiam: post revoca-  
tus à Cæsare, quum parùm lætas accepis-  
set literas, & ingratitude in iis depre-  
henderet, non solùm non revertit, verùm  
etiam ulciscendi sui causâ, missis legatis  
LONGOBARDOS, qui tunc in Pan-  
noniâ confederant, maximis propositis  
emolumentis excitavit, [ *Annô Ær. Vulg.*  
*567. seq.* ] ut, Pannoniâ relictâ, in Italiam  
venirent, omnium regionum & pulcher-  
rimam & fructuosissimam. *Paulus Dia-*  
*con.*

*con. de gestis Longob. lib. 2. cap. 5. Regino lib. 1. Pomponius Lætus. Frisingensis lib. 5. cap. 5. Itaque partem illam Italiæ, quæ nomen ab ipsis ad hoc usque tempus retinet, occupârunt. Sigebertus. Jovius lib. 1. Elogiorum.*

Justinus hic per Italiam instituisse scribitur Magistratum, (*Blondus lib. 8. Decad. 1.*) EXARCHUM: Is erat tanquam Cæsaris vicarius atque legatus: RAVENNÆ potissimum habitabat, neglectâ Româ, singulisq; civitatibus & oppidis unum aliquem præficebat. *Primus Exarchus nominatur LONGINUS Grecus: sed Palmerius Patricium Romanum primum talem magistratum suscepisse scribit. Duravit illa dignitas annis 164. sive, ut alii volunt, 124. Blondus lib. 10. Decad. 1.*

Itali Scriptores novum hoc institutum Romæ ac Italiæ fuisse tradunt exitiale, Narses deinde Romæ mortuus est.

*Narsetem in exiliô defunctum commemorant omnes; Mortui verô corpus in loculô plumbeo, cum omnibus ejus opibus, Constantinopolim portatum, scribit Paulus Diaconus lib. 2. de gestis Longobardorum, cap. 11. Idem eodem libro, cap. 3. pietatem ejus*

predicat, sicut Evagrius etiam lib. 4. cap. 24. Suidas ingenium & corporis habitum describit.

Justini successor fuit TIBERIUS II. [ *Ann. Ære Vulgaris 578.* ] jam antè cooptatus & Imperii factus collega. ( *Diaconus lib. 17. Evagrius lib. 5. cap. 14.* ) Is contra Persas bis feliciter pugnavit: ( *Niceph. lib. 18. c. 1. & 2.* ) Pacem cum Longobardis fecit, qui tum inde à Sannitibus ad Alpes usq; regnabant, exceptâ tantum urbe Româ, quam ubi graviter obsedissent aliquandiu, vi tempestatis & imbrium coacti, tandem castra moverunt. *Pomponius Letus.*

Tiberii gener, MAURITIUS, factus Cæsar, [ *Annô Ære Vulgaris 582.* ] per legatos præliis aliquot fudit Persas, ac demum pacem cum iis fecit. Revocatô exercitû Scythas expulit è Mysiâ, ( *Diaconus lib. 17. Nicephorus lib. 18. cap. 6. 7. & 8.* ) Longobardos per Italiam repressit: Hunnos è Pannoniis ejecit: propter avaritiam exosus militi, coactus est, ortâ seditione, profugere Chalcedonem. ( *Pomponius Letus.* ) ibi tandem, cum uxore & liberis, omniq; stirpe, fuit, inter-



terfectus [ *Annô Æræ Vulgaris 602.* ] à PHO-  
CA centurione, ( *Nicephorus l. 6. c. 40.* ) qui per  
seditionem deinde salutatus est Imperator.

Mauritiô regnante, [ *Annô Æræ Vulga-  
ris 599.* ] Cometa, senis mensibus apparu-  
isse: ( *Nicephorus lib. 18. c. 35. Diaconus lib 7.* )  
tunc etiam natus esse traditur MAHOMETUS,  
de quô paulò pòst dicetur. *Palmerius in  
Chronico Blondus lib. 6. Decad. 1.*

Eô tempore Constantinopolitanus  
Episcopus, JOHANNES, *universa-  
lem se vocabat Patriarcham:*  
Pelagius verò II. Episcopus Romanus, ve-  
hementer obstitit, ejusque decreta pro-  
nuntiavit irrita.

*Johannes hic, à vite sobrietate,  
Jejunator nominatur l. 17. c. 36. & l. 18.  
cap. 34. historie Ecclesiasticæ Nicephori. Pri-  
matum sibi arrogavit in Conciliô Constantino-  
politano, teste Gregoriô Magnô lib. 4. indict. 13.  
epist. 36. sed Pelagius, Episcopus Romanus,  
missô Constantinopolin Archidiaconô, Syna-  
di decreta cassavit, ibidem epist. 37. Vi-  
de 2. tomum Conciliorum, epistolam pri-  
mam*



*mam Pelagii Secundi, Pape, pagina 842.*

Qui successit huic, GREGORIUS I. graviter hoc ipsum in illô reprehendit, & in Conciliô Calcedonensi, titulum hunc atq; honorem suis majoribus attributum quidem fuisse, verum ex ipsis neminem usurpasse dicit. *Gregorius lib. 4. indict. 13. epist. 36. & 38. item lib. 7. indict. 1. epist. 30.*

Datis etiam literis ad Mauritium Imperatorem hortatur, ut illum coërceat. Nam ad ipsius auctoritatem hoc quoque pertinere, quam ille, dum talem sibi potestatem sumit, multum imminuat. *Gregorius lib. 4. indict. 13. Epist. 32.*

Alter autem post Gregorium, BONIFACIUS III. à Phocâ scribitur (*Blondius Decades 1. lib. 9.*) obtinuisse Primatum, divulgatis in eam rem edictis atq; diplomatis. *Adon. Viennensis etate 6. Beda de ratione temporum. Regino Prumiensis lib. 1. Frisingensis lib. 5. cap. 8. Urspergensis, Platina in vitâ Bonifacii III.*

Phocâ rerum potiunte, Persæ magni incommodis Rempublicam affecerunt, occupatâ Mesopotamiâ & Assyriâ, & in minoribus

rem Asiam usq; progressi. Tanta erat principis ignavia. (*Diaconus lib. 17. Zonaras tomo 3. Beda de ratione temporum:*) Sed & Germania, Gallia, Hispania, bonaqve pars Italiae, defecerunt. Ægyptum vastabant Saraceni: (*Nicephorus lib. 18. cap. 56.*) Sic ille, propter crudelitatem & neglectam Rempubicam, occisus, HERACLIUM habuit successorem. [*Annô Ærae Vulgaris 610.*] *Ponponius Letus.*

Tunc iterum Persæ longissimè progressi ex Ægypto, Aphricam invadunt, & suæ conditionis efficiunt. Europam variè lacerabant Scytæ: profectus tandem in Asiam Heraclius, cum pacem impetrare non posset, parùm etiam honestis nomini Romano propositis conditionibus, penè coactus decertavit cum Persis, qui jam Judæam vastabant, eosqve unò aut alterò præliò fudit; inde Tigrim flumen transgressus, & Persiam longè latèqve populatus, amicitia demum initâ cum Persarum regis filio SIROCHO, qui, necatò parente, [*Annô Ærae Vulgaris 628.*] regnum invaserat, Aphricam, Ægyptum, & quicquid omninò Persæ occupaverant, recepit,

pit, pactumque fuit, ut Persicam ditionem à Romanâ separaret Tigris. *Sigebertus Pomponius Letus.*

Ad hoc tempus SARACENI, Heraclio militantes, cum stipendiis fraudarentur, maximâ multitudine deficiunt, (*Diaconus lib. 18. Sigebertus*) & MAHOMETO duce, per Syriam grassati, Damascum occupant, Ægyptum vastant, Arabiam subruunt, & in Persas quoque feliciter præliantur. [*Anno Ære Vulgaris 632.*] De Saracenorum origine, incrementis & imperiò, videatur *Cælius Augustinus Curio libro de historiâ Saracenorum, item Wolffgangus Drechsterus in compendiò historie Saracenicæ.*

Fuit Mohametus obscurò genere natus, (*Liber de generatione Mahometi, & Chronicon Saracen. Zonaras tomo 3. Chalcondiles lib. 3.*) verum astutus & audax, post etiam locupletatus matrimoniò, cumque propter animi promptitudinem autoritate valeret, novum doctrinæ genus, rationi valdè jucundum, sed magnâ sui parte ridiculum & ineptum, proposuit, quò sic animos hominum magis atque magis devin-

vinciret, & regnum sibi firmiter constitueret, & quoniam initio facile potuisset hoc incendium restringi: tamen, quia neglectum fuit, brevi tempore crevit in immensum: ab eoque tempore magis atque magis populi Romani majestas & Imperium, ad Orientem Solem, interiit, deficientibus aliis atque aliis populis.

Heraclio regnante [*Anno Aere Vulgaris 633.*] QUARTUM fuit CONCILIUM TOLETANUM. *Tomo 2. concil. pag. 63. Johannes Magnus historie Gothicae lib. 16. cap. 17.*

Et quia per Hispaniam plerique sacerdotes precationem, quam CHRISTUS ipse nos docuit, (*Matth. 6. Luc. 11.*) non quotidie, sed eodem die solum orabant, quem Dominicum vocamus, decretum inter alia fuit, (*Can. 9. pag. 70.*) ut id corrigeretur: item, ut Apocalypsis Johannis Evangelistae, sicut ajunt, a Paschate doceretur in templis, ad usque Pentecosten. *Can. 16.*

Regnabant tunc in Hispaniis GOTHI: cumque dominationis externae, sicut fieri solet, Hispani pertaesi, res novas captarent,



rent, gravi poenà Synodus edicit, (*Can. 74. pag. 76.*) ne quæ conjuratio fiat in regem, Gothicamve gentem, utque mortuò rege primores totius gentis, atque sacerdotes, communi consiliò, successorem constituant. Idem post in aliquot aliis ipsorum conventibus repetitum fuit. *Concil. 5. Can. 3. & 4. Concil. 6. Can. 17. & 18.*

Prohibetur etiam, ne per quadragesimæ tempus, uti vocant, Hebræum illud ALLELUJA cantetur in templis; Nam esse mœstitiæ tempus illud, non lætitiæ. *Concilio IV. Can. 10. p. 70.*

Heraclio successit [*Annò Ære Vulgaris 642.*] CONSTANTINUS, è filiò Constantinò nepos, (*Diaconus lib. 18.*) hic infelicissimè mari pugnavit cum Saracenis, qui, victoriâ potiti, RHODUM occupaverunt, [*Annò Ære Vulgaris 653.*] (*Zonaras tom. 3.*) longius haud dubiè progressuri, nisi factiones inter ipsos ortæ, biennii inducias à Romanis impetrassent: eò datò respirandi spaciò, Cæsar cum exercitu transmisit in italiam, quò ab hostibus eam liberaret, ut quidem jactitabat; (*Reginò lib. 1.*) Cùmq; Tarentum esset



effet delatus, Lucetiam, & alia quædam Apulix loca ditionis Longobardorum, expugnat & evertit. In itinere, cum Neapolim iret, postremum ejus agmen cæsum fuit à Longobardis. *Paulus Diaconus de gestis Longobard. lib. 1. cap. 10.*

Romam placitè ingressus, omnibus tandem ornamentis eam spoliat, (*Regino lib. 1. Sigebertus*) & paucis diebus ibi commoratus, in Siciliam trajicit. *Sabellicus Enead. 8. lib. 9. [Annò Æræ Vulgaris 668.]*

Ibi demum in balneò fuit interfectus; (*Diaconus, Zonaras tomo 3.*) cumque post ejus mortem de successione essent nata dissidia, SARACENI, eam nacti occasionem, magnà cum classe ingrediuntur Siciliã, vastam edunt hominum stragem, Syracusas capiunt, & prædam omnem Constantis, ablatam ex urbe Romã secum asportant. *Regino lib. 1. Blondus Decad. 1. lib. 9. Nauclerus generat. 23. Diaconus l. 5. c. 13. de gestis Longobardorum.*

Constanti successit CONSTANTINUS IV. vulgò dictus BARBATUS. (*Diaconus lib. 19. Zonaras Tom. 3. Sigebertus.*) Hic per annos aliquot cum Saracenis congressus, tandem

dem eos fudit, ita quidem, ut pacem illi peterent, & inducias annorum XXX. simulque vectigal annuum paciscerentur: Ea re commoti, qui erant ad Occidentem Solem, populi Romani hostes, pacem quoque petebant. *De tributò consentiunt Zonaras & Diaconus: de equis & servis variant. Hic enim quinquaginta, ille octonos tantum nominat.*

BULGARI autem suis finibus egressi Thraciam vastabant, (*Diaconus lib. 19.*) cum his tandem pacificatum est, & concessa illis utraq; Mysia, tametsi postea, cum ignaviam Romanorum deprehenderent, violatam pacem, rursus evolarent, & Imperii vires attenuarent. *Zonaras tomo 3. Sigebertus, Aventinus lib. 3. annal. Bojorum.*

Hic Cæsar omnium primus constituisse traditur, (*Sabellicus Ennead. 8. l. 6. Blondus Decad. 1. l. 6. Platina in vitâ Benedicti II.*) ut, quem clerus populusque Romanus, cum exercitu, creasset CIVITATIS EPISCOPUM, is plenam obtineret potestatem. Nam ad hoc usque tempus Episcopi Romani dignitas vel a Cæsaribus vel ab eius per Italiam Vicariis confirmatione pendeat. *Polydorus*

*rus Virgilius lib. 4. cap. 10. hanc legem scribit  
hand diu servatam esse.*

Extat ad Constantinum Papæ LEONIS II. Epistola prolixa, *Tomo 3. concil. initium Epist. 1. Regi regum, pag. 171.* quâ damnat omnis generis hæreticos & ipsum, propter studium ac patrocinium Religionis, & liberalitatem atqve munificentiam, summis laudibus extollit, & Ecclesiam, quæ talem sit nacta propugnatorem, planè triumphare dicit.

Eò regnante, [*Annò Æræ Vulgaris 680.*] SYNODUS fuit SEXTA CONSTANTINOPOLI centum quinquaginta Episcoporum. *Diaconus lib. 19. Zonaras tom. 3. De numerò Patrum, qui ad hanc Synodum convenerunt, variant auctores. Regino lib. 1. Beda de ratione temporum, numerant 150. Diaconus lib. 19. Ivo in Chronicis, Simoneta lib. 1. cap. 46. nominant 280. in Catalogò subscriptorum exstant 162. Chronicon Martini trecentòs minus unò habet.*

In eâ sub finem ipsum fit mentio CANONUM, qui dicuntur APOSTOLORUM, sed obscuris verbis. *Tomo 3. concil. in Decretis Synodi 16. Const. titulo Canone Apost. pag. 393.*

GRATIANUS autem contrarias opiniones recenset. (*Dist. 16. cap. Canones.*) Nam dicit esse, qui conscriptos ab hæreticis, & ab Ecclesiâ veteri repudiatos, affirmant, & inter *Apocrypha* numerent. Zepherinus autem, Episcopus Romanus, ordine decimus sextus, approbasse illos dicitur, (*1. tomo conciliorum, Epistola ad Episcopos Sicilienses, p. 341.*) & post eum ista, quam dixi, Synodus, quam Justiniani II. tempore, qui filius erat Constantini IV, tradunt absolutam fuisse. Breviter: Incertis rationibus omnia fluctuant. Sed & de numero Canonum non convenit; Alii namq; L. alii LX. ponunt, alii LXXXIV. & eò quidem numero extant: unde facile conjici potest, paulatim additos fuisse plures, & unò postea nomine comprehensos, quum à diversis emanassent. Fr. Sixtus Senensis in *Bibliothecâ sanctâ, lib. 2. de Canonib. Apostolorum* sic scribit: *Isidorus tantum 50. recenset. Sexta Synodus, can. 2. probat 85. tametsi non sint nisi 84. Sed duodecimus Latinus est in Codice Græcò in duos divisus. Zepherinus, quingentis annis quintâ Synodò prior, sexaginta tantum cano-*



nes amittit. Leo IX. trecentis & quinquaginta annis posterior, sextâ Synodò, ad Michaëlem Patriarcham, totidem enumerat. Hec. Fr. Sixtus. Pro horum Canonum defensione luculentum librum edidit Franciscus Turianus, Jesuita.

Tunc etiam ARCHIEPISCOPUS RAVENNAS Episcopo Romano se subjecisse fertur, ( *Sigebertus* ) quum antea maximè verò post eò translatum Exarchatum, nihil Romano concederet. Ecclesia Ravennas, à Romanâ multis ab annis segregata, Allocephalis dicta est, ut Platina in vitâ Dom. I. Papa Romani, observat. Theodorus autem Episcopus Ravennas, sedens suam Romano Episcopo subjecit. Occasionem explicat Blondus Decad. 1. lib. 9. Sabellicus Ennead. 8. lib. 7.

Constantinò [ Annò Ære Vulg. 685. ] successit Justinianus II. filius. ( *Zonaras* tomo 3. *Sigebertus* . ) Is per ætatem & imperitiam malè Rempublicam gerebat, & violatâ pace, quam ejus pater cum Saracenis fecerat & Bulgaris, eò demum redactus est, ( *Diaconus* lib. 9. ) ut pacem ab utris-



que cogeretur ipse petere. Tandem ob crudelitatem ejectus, & præcisus naribus relegatus, [*Annô Bræ Vulgaris 694.*] LEONTIUM habuit successorem, qui propter affectati Imperii suspicionem per biennium fuerat captivus.

In his motibus Africam invadunt Saraceni, sed biennio post illinc ejecti fuerunt, commisso prælio. *Diaconus lib. 20. Zonaras tomo. 3.*

Milites Romani, præsidio in Africâ relictî, quum lentè & ignavè omnia administrarentur à Cæsare, (*Zonaras tom. 3.*) veriti, ne à Saracenis, quorum tunc erat ingens potentia, rursus ejicerentur, TIBERIUM III. quendam faciunt Imperatorem. Is cum copiis profectus Constantinopolim, & urbe potitus, [*Annô Bræ Vulgaris 697.*] Leontium capit, naribus truncat, in catenas conjicit, & per Italiam novum constituit Exarchum. *Tiberio huic Absimaro nomen fuit, quod repudiavit, ut Diaconus lib. 20. & post eum Egnatius scribit.*

Et cum ad hunc modum tumultuose omnia fierent, SARACENI, tempus idoneum

um nacti, maximisque cum copiis ex Ægypto profecti, Africam rursus occupant, & Libyam & Hispaniam probe totam. *Blondus Decad. 1. lib. 20.*

Is quem supra dixi, (*Diaconus lib. 20. Sigebertus*) JUSTINIANUS, à Leontio Imperatore ejectus & relegatus, *Trebellii*, Bulgariae regis, auxiliò, Constantinopolim tandem occupat, & LEONTIUM TIBERIUMQUE captos interfecit. [*Annò Ære Vulgaris 703.*] Per annos deinde sex crudeliter imperavit, ingratus etiam in Trebellium Regem (*Suidas, in voce Bulgari, Trebellin vocat.*) Tandem, commisso præliò cum PHILIPPICO BARDANE, ad quem exercitus defecerat, occubuit tum ipse, tum filius TIBERIUS. [*Annò Ære Vulgaris 711.*] *Zonaras tomo 3.*

PHILIPPICUM *Constantinus* Pontifex ob diversam religionem pronunciat Schismaticum. (*Regino lib. 1. Sigebertus.*) Tandem à suis exoculatus [*Annò Ære Vulg. 713.*] Cæsar ANASTASIUM II. habuit successorem. *Anastasius hic aliò nomine*  
*Arte-*

*Artemius* appellatus fuit. *Diaconus*  
lib. 20. *Zonaras* tom. 3.

Is classem in signem misit RHODUM, belli gerandi causâ cum Saracenis, (*Diac. lib. 20. Zonar. tom. 3.*) eiq; bello quendam ordinis Ecclesiastici virum præfecit: Sed cum ei parere milites recusarent, ortâ seditione, [*Annô Ære Vulg. 714.*] factus est Imperator quidam obscuri generis THEODOSIUS, (*Regno l. 1.*) qui, mutatâ navigatione, Constantinopolim venit, urbem occupavit, & Anastasium, præliô victum, sacris addixit: sed non multò post ejectus à LEONE copiarum præfectô, vitamq; monasticam fuit amplectens. *Irisingensis lib. 5. cap. 17.*

Ad hoc tempus, [*Annô Ære Vulg. 715.*] quod erat annô salutis septingentesimô decimô septimô, MAURITANI totis viribus irruunt in HISPANIAM, & suæ ditionis illam faciunt, Rodericô, Hispaniarum Rege, quem etiam Gothi elegerant. *Blondus Decad. 1. lib. 10. Johannes Gothus lib. 16. cap. 27. ad annum 714. refert.*

LEONE II. regnante, Saraceni, vastatâ Thracia, Constantinopolim per triennium obsi-

obfidēt terrâ mariqve, (*Diaconus lib. 21. Zonaras tomo 3.*) tandem, pestilentia propè consumpti, domum redire coacti sunt. *Frisingensis lib. 5. cap. 18. Sabellicus Ennead. 8. lib. 7. Blondus Decad. 1. lib. 10.*

Erat Leo valdè infestus Episcopo Romano, GREGORIO II. (*Paulus Diaconus lib. 21. Sigebertus*) suoq; per Italiam vicario, sive Exarcho, mandaverat, ut illum quòcunq; modò tollerēt è mediò: Papam verò defendebant Longobardi, non quidem illius charitate quâdam, sed ut in eò diffidiò suos ipsi fines amplificarent: Nam Exarchatûs oppida multâ, per hanc occasionem, occupârunt. *Blondus Dec. 1. lib. 10.*

Hujus Gregorii quædam extant Epistola (*Tom. 3. concil. pag. 413. edit. Veneta*) ad Clerum & plebem THURINGIÆ, monentes, ut in cognitione DEI magis atqve magis proficiant: Item ad SAXONES, (*ibid. pag. 414.*) graviter eos deterrentes ab Idolorum cultu, BONIFACIO quòdâ fuit usus in his rebus administrò, quem in Germaniam miserat. *Bonifacius hic Wunefridus antea vocatus, natione fuit Anglus,*



*Anglus, Cridioduni in patriâ Devonienſi natus, Balæus. Jacobus Curio Londæ natum aſſerit, & Munzerus in Chronographiâ aſſir- mat, eum Ricardi, Anglorum, fuiſſe fra- trem.*

LEO CÆSAR ſtatuas omnes & divorum imagines è templis ejecit, (*Diaconus lib. 6. cap. 40. de geſtis Longob.*) Papæ quoque mandat, ut idem faciat: Ille verò non modò non morem gerit, ſed illi, in ſuò propoſitò perfeverandi, graves pœnas denunci- at. *Friſingenſis lib. 5. cap. 18.*

Leoni [*Annò Æræ Vulgaris 741.*] ſuc- ceſſit filius CONSTANTINUS, ejus nominis V. Cognomentò COPRONYMUS, ejusdem cum patre Religionis. (*Diac. lib. 22. Sige- bertus.*) Hic magnâ cum claſſe profe- ctus in Saracenos, ut Alexandriam Ægy- pti recuperaret, acceptò nunciò de ſedi- tione domi natâ, & ARTABASTO, novò Im- peratore electo, Conſtantinopolim revertit urbem vicapit, & ARTABASTUM exoculat. [*Annò Æræ Vulgaris 743.*] *Zonaras tom. 3. Blondus Decade 1. lib. 10.*

Huic etiã, ſicut parenti LEONI,  
gra-



grave fuit cum Episcopô Romanô GREGORIO III. dissidium : ( *Tomo 3. concil, in hist. Gregorii III. pag. 418.* ) qui subinde, missis internunciis eum excommunicabat, & cum in vincula conjicerentur nuncii, collectâ Synodô decretum fecit, ut, qui post hac divorum imagines demolirentur, aut contumeliosè tractarent, ab Ecclesiæ consortiô planè rejicerentur. Deinde omni studiô & operâ statuas in variis templis erexit, & magnificè, quantum potuit, exornavit.

A Gregoriô III. [ *Anno. Era Vulgaris 741. mortuô* ] fuit ZACHARIAS. Hujus extat ad Episcopum quendam Bonifacium Epistola, ( *Tom. 3. conc. Epist. ult ad Bonifac. Episc. pag. 435.* ) qui per Germaniam erat, ille ipse, ut apparet, cujus operâ fuit usus Gregorius II. ut paulò suprâ diximus. Ejus postulatis respondet Zacharias, & permittit, ut MERSEBURGI, BAMBERGÆ, ERPHURDIÆ sint Episcopatus. Concedit etiam, ut ad CARLOMANNUM, Caroli Martelli filium, qui in aliquâ urbe regni Francorum petebat haberi Synodum, proficiscatur, & Ecclesiæ mores diligenter reformet, imprimis autem ab ordi-

ordine Sacerdotali removeat adulteros, & eos, qui plures habent uxores: Cum enim, post susceptum ministerium sacrum, ne unam quidem uxorem habere vel attrectare liceat, multo minus, ut eodem tempore plures quis habeat: licere. Nam quod Paulus ait, [1. Tim. 3] *ut Episcopus sit unius vir uxoris*, intelligendum esse non de presenti, sed de praeterito tempore, ne videlicet plures habuerit, quam unam uxorem, is, qui cupit in sacerdotum ordinem cooptari.

Huic Epistolae subjungitur CARLOMANNI, qui se Francorum ducem vocat, editum, (tomo 3. conc. pag. 437.) quo statuit, ut ipso praesente, quotannis habeatur Synodus, adulteros autem Sacerdotes & fornicatores loco submoveri jubet: venationibus etiam & aucupio illis interdicit, neve mulierem ullam domi foveant, mandat: sed de uxoribus verbum nullum. *Habet hoc editum Aventinus lib. 3. Annalium Bojorum.*

Ab hoc tempore. [Annò Era Vulgaris 752. seq.] (Diaconus lib. 22.) AISTULPHUS, Longobardorum Rex, tributum annuum à Romanis petebat, gravia minatus, nisi de-  
pen-

penderent. *Sigebortus, Viterbiensis parte Chronici 17. Blondus Decad. 1. lib. 10.*

Qui tum erat Episcopus urbis Romæ, STEPHANUS, ejus nominis II. cùm blanditiis atqve donis hominem placare non posset, Constantinum Cæsarem de auxiliis interpellat: cumqve nihil ab eò præsidii veniret, PIPINUM, nuper factum Francorum Regem, ut infra dicemus, orat, ut opem ferat. *Frisingensis l. 5. c. 25. Urspergensis, Diaconus lib. 22.*

Is cum copiis in Italium profectus, Papiam obsidet, & illum ad pacis conditiones adigit. (*Regino lib. 1.*) Cùm autem domum, revertisset, hostis ferocior factus, iterum arma movet. Quare denuò sollicitatus, in Italiam Pipinus venit: tunc demum [*Annò Æræ Vulgaris 755.*] AISTULPHUS EXARCHATUM PIPINO tradit, quâ quidem in regione hæ sunt urbes primi nominis, *Ravenna, Faventia, Casena, Forum Livii, Forum populi, Bononia, Rhegium, Parma, Placentia.* *Urspergensis, Sabel-*

*bellicus Ennead. 8. lib. 1. Balens cent. 2. cap. 5. Adon. etate 6.*

Regionem hanc omnem Pontificis fidei PIPINUS permisisse fertur, (*Regino lib. 2.*) quum Cæsar antea rogasset, ut eam sibi restitueret, quod esset Imperii, non Ecclesiæ Romanæ. *Blondus decad. 1. lib. 1. Antonius tit. 14. cap. 1. §. 3. Æmil. lib. 2.*

Constantino [*Annô Ære Vulgaris 775.*] successit filius LEO IV. Is unicam suscepit profectionem in Syriam: Repulsus domum rediit, neque multò post mortuus est, [*Annô Ære Vulgaris 780.*] ejusdem cum Patre religionis, filiò relicto CONSTANTINO VI. (*Diaconus lib. 3.*) Sed cum is per ætatem regere non posset, mater ejus IRENE Rempublicam gerebat: Ille autem, grandior factus, dejectâ matre, cœpit insolenter admodum & acerbè regnare: cumq; idcirco conjurationes in ipsum fierent, inter alios mulctavit etiam NICEPHORUM patrum, & exoculavit. Tandem [*Annô Ære Vulgaris 797.*] & ipse fuit exoculatus consiliò matris, & aliquanto post luctu mortuus est. (*Frisingensis lib. 5. cap.*

cap. 19.) Itaq; rerum summa rediit ad Irenem matrem, quæ quartò demum anno sui Imperii dejecta, inq; exilium relegata, successorem habuit eum, quem diximus, NICEPHORUM. [*Annò Æræ Vulgaris 802.*] *Diaconus lib. 21. Zonaras tomo 3.*

Interea, dum ita Constantinopoli tumultuosè res aguntur, celebris erat CAROLI, Regis Francorum, fama. Nam is, Aquitanicò bellò confectò, rogatus ab ADRIANO, Episcopò Romanò, cum exercitu venit in Italiam, (*Regino lib. 3.*) & sicut ipsius parens Pipinus Aistulphum, regem Longobardorum, oppresserat, ut suprà dictum est; (*Eginhardus*) ita hic Aistulphi successorem, DESIDERIUM, gravem Italiæ & Adriano I. post longam obsidionem cepit, [*Annò Æræ Vulgaris 774.*] ejusq; filium ADALGISUM regnò dejecit, & omni expulit Italiâ. *Sigebertus Gagvinus lib. 4. cap. 1. Emilius Veronensis Rerum Franc. lib. 2.*

Nam Cæsares Romani, quoniam & longius aberant, Constantinopoli videlicet, inde à tempore Constantini Magni, & quia non solum externis bellis, verum etiam



etiam domesticis & civilibus erant impediti diffidius; Italiam ferè negligebant, aut certè non poterant idoneè tueri, præsertim Longobardis ibi grassantibus. Deinde, ex iis pleriq; diffidebant etiam graviter à Romanis Episcopis, ut antè diximus, & ipsorum odiò non admodum movebantur illis Longobardorum successib9. Hac de causà Pontifices externam defensionem circumspiciebant: & quia tum temporis nulla erat illustrior aut potentior familia, quàm FRANCIAE regum, propter magnitudinem rerum gestarum, idcirco ad eam, velut ad portum aliquem rebus turbulentis, confugiebant.

Hunc etiam admodum Adrianò mortuò, cui successit LEO III. quum graves haberet Romæ adversarios, Carolum, Pipini filium, implorabat: qui, cum ad urbem quartò venisset, à Pontifice simul & omni populò salutatus est IMPERATOR. (*Diaconus lib. 14. Sigebert. Sabell. Ennead. 8. lib. 9.*) Quod quidem accidit. quò tempore Constantinopoli fervebant omnia factionibus, ita quidem, ut etiam tempus ipsum & Reipublicæ status huic mutatio-

tioni videretur causam & occasionem præbere. *Blondus Decad. 2. l. 1.*

Sic igitur Occidentis Imperium ad GERMANOS devenit, nam Germanos fuisse Pipinum atque Carolum, dubitari non potest. Fuit hoc post natum CHRISTUM, annò octingentesimò primò.

Cæterum inde à NICEPHORO, Imperatores Orientis, continuis ferè bellis agitati fuerunt. Nam initio BULGARI sæpè cum illis conflixerunt: deinde SARACENI, ex Africâ profecti, Cretam insulam, post quoq; Siciliâ occuparunt, & Asiam longè lateq; vastârunt: postremò etiam TURCÆ, Scythiæ populus.

A Nicephorò autem usq; ad CONSTANTINUM PALÆOLOGUM postremum, circiter quinquaginta numerantur Imperatores Græci, & in his aliquot fœminæ. Ex ipsis pleriqve fuerunt ignavi. *De his legantur Zonaras tomo 3. Nicetas Choniates. Niceph. Gregorius, Chalcocondiles & alii.*

Et CONSTANTINO MONOMACHO regnante, qui vigesimus est à Nicephorò, TURCÆ, ab humili origine paulatim progressi longius, Asiam vastare cœperunt,

& auctis quotidiè viribus, MONARCHIAM demum constituerunt, non quidem novam aut quintam aliquam, sed ex eâ natam Imperii Romani parte, quæ fuit ad Solem Orientem. *Zonar. tom. 3. Baptista Egnatius lib. 1. princip. Roma.*

Ejus autem Monarchiæ princeps fuit OTTOMANNUS ad annum Christi circiter M. CCC. *Chalcocond. libr. 2. de reb. Turcicis Matthias Mechovius in Sarmatia Asiatica c. 15.*

MAHOMETUS deinde, ejus nominis II. proavus SOLYMANI, qui nunc rerum potitur, captâ Constantinopoli, [*Anno Ær. Vulg. 1453.*] & Constantinô Palæologô Cæsare, quem diximus, interfectô cum omni familiâ, nomen & successorem Imperatorum nostræ religionis, iis in locis funditùs delevit, *Chalcocond. lib. 8. Sabell. Ennead. 10. l. 6.*

Tenent autem Turcæ ad hoc usque tempus, ASIAM, SYRIAM, ÆGYPTUM, MESOPOTAMIAM, JUDÆAM, RHODUM, GRÆCIAM OMNEM, THRACIAM, BULGARIAM, MACEDONIAM, ILLYRICUM, UTRAMQUE MYSIAM, & nuper ALTERAM ferè PAN-  
NO-

NONIAM & APHRICÆ PARTEM aliquam.

De PRIMATU dimicantur olim inter se vehementer ECCLESIAE, HIEROSOLYMITANA, ANTIOCHENA, CONSTANTINOPOLITANA, ROMANA, & hæc quidem duæ potissimum, uti supra docuimus: TURCA verò litem diremit, & sic omnia tribus illis locis conturbavit, nullum ut existat Ecclesiæ, vel Christiani cœtus vestigium. Ejus autem, quæ super est, Ecclesiæ, quæquæve sublatis æmulis nunc sola triumphat, cujusmodi sit facies, qui status, res ipsa declarat.

Postquam ergò demonstravimus, quemadmodum Imperii Romani pars altera corporis, Orientem Solem spectans, omninò conciderit, & in alienam potestatem devenit, reliquum est, ut, quemadmodum & ea pars, quæ pertinet ad Occidentem Solem, prorsus interierit, & novos adeptæ sit Dominos, breviter explicemus.

Hic enim obiter considerandum est, quomodo mirabili quòdam fortunæ ludibriò, à Romanis illis atque priscis familiis, augustum illud Imperii decus



& fastigium, ad exteros delatum fit, & quidem aliquot pudendæ conditionis homines. Nam ex iis quidam fuerunt Hispani: nonnullis Pannonia, Dacia, Dardania, Dalmatia, Gallia, Thracia, Cappadocia dedit originem.

In primis autem observari debet, quàm fuerit anceps & misera Imperatorum conditio; Nam ipsorum dignitas omnis atque falsus erat, non in Senatus aut Populi, sed in Legionum atque militum potestate: sic, ut permirum videri possit, ullos fuisse, qui munus hoc tam periculosum & injuriis opportunum, susciperent. Etenim inde à C. CÆSARE, qui spectante Senatu concidit, ad CAROLUM usque MAGNUM, circiter triginta ex iis fuerunt interfecti, quatuor vero sibi mortem ipsi consciverunt. Semper aliquid erat, quod in ipsis desiderarent milites; neque bonos magis, quàm improbos ferre poterant, & ad minimam occasionem concitata turbâ; jujulabant eos, quos etiam invitos ad culmen illud honoris pertraxerant, sicut ÆLIO PERTINAGI constat (*Arvelius Victor. Herod. libr. 2.*)  
 acci-



accidisse. Cæsarem metuebat Senatus : ipse verò Cæsar, ab impuri militis voluntate propemodum, atque nutu pendeat, De hac Romani Imperii infelicitate sic scribit Erasmus Roterod. præfat. in Svet. Tranquill. O miserum ac deplorandum illorum temporum statum ! Oppressâ Senatus auctoritate, oppressis legibus, oppressâ populi Romani libertate, sic creato principi serviebat orbis ; Princeps ipse serviebat iis, qualem nemo vir probus domi vellet habere servum. Imperatorem timebat Senatus : Imperator scelestam illam militum multitudinem formidabat. Imperator Leges dabat Regibus : At huic leges auarum concupiscentiæ milites. Summa rerum orbis, ob armatâ paucorum temeritate pendeat.

Hos autem spiritus, inde post C. Cæsaris mortem sibi sumserunt, præsertim legiones veteranæ, quibus per Galliam, Hispaniam, Africam ille fuerat usus : & Cicero ( Phil. 12. ) hoc ipsum deplorans, fortes illæ quidem sunt, inquit, sed

*sed propter memoriam rerum,  
quas gesserunt pro populi Ro-  
mani libertate & dignitate  
Reipublicæ, nimis feroces, &  
ad suam vim omnia nostra  
consilia revocantes.*

F I N I S

LIBRI SECUNDI.





JOHANNIS SLEIDANI,

De

QUATUOR SUM-  
MIS IMPERIIS,

LIBER III.



Nunc de *Carolo Ma-*  
gno loquamur, ad quem di-  
ximus Imperium Occidentis  
esse delatum, explicanda  
sunt quædam de GERMA-

NIS, à quibus originem ille dedu-  
cit. Origo *Caroli Magni ad Francos*, anti-  
quissimos Germanie populos, refertur à *Got-*  
*frido Viterbiensi* : *Ludolpho de Babenberg*  
*libro de jure regni, cap. 2.* *Jacobo Wimphe-*  
*lingio rerum German. cap. 22.* *Hieron. Ge-*  
*busero de libertate Germanicâ cap. 6. 8.*

*Egydiô Tschudô in descriptione Rhetie Alpine cap. 36. Franciscô Irenicô exegetico lib. 3. cap. 18. Verum Jean. Bodinus, Germanici nominis hostis, Carolum natione Gallum, in Gallia natum, lingua quoque, moribus & institutis Gallorum, unâ cum suis majoribus educatum, scribit in methodo historic. cap. 7.*

Et primò quidem certò constat, Germanos persæpè transiisse Rhenum, & in Gallias penetrâsse, ut ibi propter agri bonitatem considerent.

Nam Theutoni in provinciam Galliam invaserunt, & à C. Mariô Consule fuerunt profligati. *Florus lib. 2. cap. 13. & Orosius lib. 2. Orosius lib. 5. cap. 6. Eutropius lib. 5. Cæsar de bello Gallicô lib. 1.*

Deinde, cùm ARVERNI & HEDUI, Galliæ populi, de principatu contenderent, Germani, mercede conducti ab Arvernibus & Sequanis, primò quidem non ita magnis copiis eò venerunt: paulatim verò sic augebant, in ARIOVISTO rege, ut bonam ejus agri partem occuparent. [circa annum ante Ær. Vulg. 73.] Eos autem C. Cæsar præliô superavit & aliquot

quot pòst annis, cùm bellum gereret, in EBURONES, Galliaè Belgicæ populū, Germani denuò Rhenum trajece-  
runt, ut exercitum Romanum oppugna-  
rent: sed ad Mosæ confluentem atqve  
Rheni, fuerunt ab illò concisi. *Cæsar libr. 4.*  
*Hubertus Thomas Leodius de Tungris & E-*  
*buronibus.*

Multis deinde pòst annis intra suos fi-  
nes se continebant, eò qvòd Romani Cæ-  
sares bellum ipsis inferrent: sed tamen  
qvoties tempus aliquot idoneum essent  
adepti, non deerant suis ipsi commodis,  
& Galliam perpetuò vastabant. *Trebellius*  
*Pollio & Sext. Aurelius.* Hunc ad mo-  
dum, Gallienò Cæsare, homine ignavò &  
voluptuariò, impressionem fecerunt. [*cir-*  
*ca Annum Ære Vulgaris 261.*] & paulatim eò  
potentiæ creverunt, ut PROBUS Cæsar,  
qvartus à Gallienò, vix magnâ difficul-  
te illos rejiceret. [*circa Annum Ære Vul-*  
*garis 277.*] *Flavius Vopiscus in Probo. Entro-*  
*pius lib. 9. Zosimus l. 9.*

JULIANUS etiam, Constantii  
Cæsaris legatus, bella cum illis gessit.



[circa Annum *Ære Vulgaris* 365.] Zos. l. 3.) Post hæc, HONORIO Cæsare, Gothi in Galliam irruerunt, iisq; Cæsar, diversis bellis occupatus, Aquitaniam concessit inhabitandam.

Ab alterâ parte FRANCONES Germani (*Paulus Diacon. l. 14.*) per Belgicam irruptione factâ, [Circa annum 413.] Treviris, Menapiis, Eburonibus, Morinis, Nerviiis, Ambianis, Bellovacis, Sueffionibus oppressis, in eâ parte Galliæ confederunt, quæ nomen ad hoc usque tempus retinet, & Francia dicitur, cujus quidem regionis caput LUTETIA, nec procul illinc oppidum SANDENISIUM, Franciæ regum sepulturæ postea consecratum est, in hodiernum usque diem. *Quos Sleidanus Francones nominat, antiqui Romanæ historiæ scriptores, ut & recentes, Francos indigitant, Fl. Vopiscus in Aurelianô & Proculô. Zosimus l. 1. Ammianus Marcellinus lib. 15. 27. & 30. Aurelius Victor. Eutropius lib. 2. & alii.*

Ad eum modum amplificati quum antea bonam Germaniæ partem possiderent, omnem videlicet regionem illam, quæ

quæ est ad Mœnum flumen, atque Rhenum, facilè non solum defendebant illatum bellum, sed etiam aliis inferebant, & labante indies magis atq; magis imperiò Romanò, per Asiam & Aphricam, Longobardis etiam Italiam vastantibus, admodum suos fines per Galliam extendunt, & quum, ordine multi ipsorum reges ibi dominarentur, tandem ad PIPINUM etiam, ejusque filium CAROLUM regni summa devenit. *Sigebert Frisigensis libr. 5. cap. 16.*

Pipini pater, CAROLUS MARTELLUS, non quidem ipse rex, verùm ex proceribus unus, & Palatii præfectus, [*Ab An. Æræ V. 714.*] vel, ut vulgò loquuntur, MAJOR DOMUS, Bavaros & Svevos devicit. *De Majoribus Domus videatur Francogallia Fr. Hotomani c. 12. Nominatur ibi palatii magister & dignitas ei tribuitur eadem, quæ fuit præfecti prætorii apud Romanos, qui aliò nomine aule præfectus vocabatur. Sunt & alia nomina, quæ Majoribus Domus tribuuntur, ut*

*præfecti aula, comites Palati-  
ni, quin etiam aliquot post seculis Sene-  
schalli Franciæ appellati sunt. Exstat de  
Majoribus Domus fragmentum e-  
ditum à P. Pitheo in annalib. Francicis. De bellis  
autem Pipini, in Germaniâ gestis, videantur  
Viterbiensis parte Chronici 17. Gagvinus lib. 3.  
cap. 1. Aventin. Annal. Bojor. lib. 3.*

Nam sicut Annalium Scriptores Galliæ tradunt, (Eginhard. in viâ Caroli M. Si-  
gebert.) aliquot nunc annis, præter titu-  
lum atque nomen, nihil Reges habebant,  
sed omnis authoritas erat & summa rerum,  
penes PRÆFECTUM REGIÆ DO-  
MUS. Etenim à superiorum Regum vir-  
tute prorsus isti degeneraverant, & volu-  
ptatibus dediti nullam Reipublicæ curam  
fufcipiebant. Itaque *præfectus palatii*  
Magistratum gerebat: & quò major erat  
ignavia Regis, eò plus potentiam iste  
suam augebat. *Annales Francici ad annum  
CHRISTI 751.*

Hac demum occasione, Pipinus, qui  
CHILDERICO regnante præfectus erat,  
quum

quum apud Pontificem Zachariam res in disceptationē venisset, ut ajunt, (*Eginhard. Regino l. 2. Sigebert. Viterbiens. parte 17. Chronici*) regnum obtinuit. [*Annō Ær. V. 742.*]

Hujus rei mentio fit in decretō, quod vocant Gratiani, (*Can. alius item 3. cap. 15. q. 9.*) quod nimirum Papæ liceat Regibus abrogare Principatum: Sed ejus loci titulus & inscriptio falsa est. Quum enim duo sint ANASTASII Cæsares, neutri potest attribui. Nam prior ducentis & amplius, alter verò triginta septem annis antea regnavit, quàm istud accideret: Deinde, posterioris ætate, nullus fuit Papa GELASIUS. In recenti juris Canonici editione, auspicio Gregorii XIII. adornatâ, capitulum hoc non Papæ Gelasio, ut est in vulgatis codicibus, sed Gregorio Papæ adscribitur. Is est hujus nominis septimus, qui in Epistolâ ad Herman. Metensem Episcopum ista scripsisse memoratur.

Admonendi causâ Lectores hoc addendum putavi, quò Pontificiorum scripta prudenter evolant atque cautè. Nec enim unô locô deprehenditur, id



eos agere potissimum, ut suis legibus opinionem vetustatis addant, quò plus habeant ponderis & authoritatis.

PIPINUS, præterquam quòd Longobardos per Italianam compressit, (*Regin. lib. 2.*) rogatu Pontificis, ut supra dictum est, bellum quoque gessit in SAXONES, & deinde cum AQUITANIS, (*Gaguinus lib. 3. c. 4.*) eorumque ducem captum interfecit: cumque non multò post è vitâ migrâisset, [*Annò Æræ Vulg. 768.*] ac illi subinde rebellarent, CAROLUS filius, Rex utrumque bellum vix tandem ingenti labore perfecit.

Cum SAXONIBUS enim totos annos XXXIII. [*Ab Annò Æræ Vulg. 772.*] belligeravit, (*Eginhard.*) eoque durante bellò, confecit & alia, (*Regino lib. 2. Sigebertus.*) Nam & BAVARIAM, Tassilone duce rebellantem, suæ ditionis fecit, [*Annò Æræ Vulg. 788.*] & bis contra LONGOBARDOS profectus, & in CAMPANIAM usque progressus, omnem Italianam domuit & legibus constituit. *Gaguinus l. 4, c. 1. Urspergensis.*

Illas



Illas etiam Gallia civitates, quæ sunt ad Oceanum, & à C. Cæsare vocantur ARMORICÆ, nunc autem MINORIS BRITANNIÆ nomine censentur, ad officium redegit. (*Eginhard. Cæsar. belli Gal. libr. 5. Gag. lib. 4. c. 2.*) quum stipendium annuum, Francia regibus debitum, nolent amplius dependere. *Johannes Lelandus Armoria idem significare dicit. quod supra mare, in ipsâ Britannicâ lingua. Repetit hoc Guil. Camdenus in Britannia.*

In HISPANIAM quoque profectus cum exercitu feliciter quidem rem gessit adversum Saracenos (*Johannes Turpinus*) Rediens autem, in saltibus Pirenæis, per insidias, gravissimè cæsus fuit à VASCONIBUS, (*Eginhard.*) Aquitania populò, sed & HUNNOS, qui Pannoniam tunc obtinebant, octavo demum annò vicit. [*bellum incepit annò Ær. Vulg. 791.*] & per legatos BOHEMIAM quoque pacavit. *Antonius tit. 14. c. 2. J. 5. Gaguinus l. 4. c. 1.*

Postremum verò bellum fuit adversus DANOS sive NORDMANNOS, (*circa an. Ær. Vulg. 810.*) qui maritimam oram Germaniæ, Galliaeq; magnâ classe vastabant. *Eginhard.* His

His tantis rebus gestis, effectum est, ut MAGNUS diceretur. *Nithardus histor. lib. 1. Gagvinus lib. 4. cap. 1.*

Cum enim Francorum Reges antea solum tenerent eam Germaniæ partem, quæ est inter Saxoniam & Danubium, interque Rhenum & Salam, ad hæc, Sveviam atq; Bavariam: (*Eginhard. Aventin. lib. 4.*) Ipse totam SAXONIAM adjecit; deinde utramque PANNONIAM, DACIAM, ISTRIAM, HIBERNIAM & MEDITERRANEAM DALMATIÆ PARTEM. Cumque item Francorum reges per Galliam tenerent eam partem, quæ est inter Rhenum & Ligerim; inter Oceanum & mare Balearicum, ipse omnem AQUITANIAM totumque jugum Pyrenæi montis, ad Iberum usque flumen, & quod primo loco dictum oportuit, ITALIAM totam inde ab Alpibus ad extremam usque Calabriam adjecit: & postea quarto Romam profectus, [*An. Era V. 800.*] à LEONE TERTIO & ab omni populo Romano salutatus est IMPERATOR AUGUSTUS, cum jam annos regnasset XXXIII. *Eginhard. Regino l. 2. Sigebert. Gagvin. l. 4. cap. 1.*

c. 1. *Platina in Leone 3. Sabell. Ennead. 8.*  
 l. 9. *Blondus Decad. 2. lib. 1.*

Romanum igitur Imperium, quod est ad Occidentem Solem, variè dilaceratum, præsertim ab eò tempore, postquam Cæsares domicilium atque sedem Constanti-nopoli sibi delegerunt, ut ex iis, quæ supra commemoravimus, apparet, à Carolò Cæsare redintegratum est, ac veluti novum corpus, colorem atque speciem resumfit, tot, tantisque provinciis, ad unius principatum redactis. *Sigebert.*

NICEPHORUS, ad Orientem Solem Cæsar, tactum istud indignè quidem tulit, sed humanitate, modestiæque suæ Carolus eum delinivit, & missis donis, amicitiam uterque coluerunt & utriusque Imperii constituti fuerunt certi limites. (*Aventinus lib. 4.*)

Præter alios conventus, Concilium (*3. tomò concil. pag. 700.*) habuit etiam RHEMENSE, in quo decretum fuit, inter alia multa, ut Episcopi sacram Scripturam diligenter evolvant & Dei verbum annuncient. *Cap. 14. decretorum hujus Synodi pag. 701.*

MOGUNTIAE quoque Synodus (3. tomo concil. p. 693.) fuit Annô prius, quàm è vitâ decederet, & superioribus annis alia, TURONI, CABILONE, ARELATÆ, de emendatione Ecclesiarum, uti tradunt, qui per id tempus vixerunt. *De Turonensi Synodô videatur tomus tertius Concilior. pag. 682. De Cabilonensi ibidem pag. 686. De Arelatensi videatur pag. 670. Legatur etiam vita Caroli Magni, edita à Petro Pitheô, & Auctor annalium Francicorum. Meminit Sigebertus & Gaguinus l. 4. cap. 1.*

LUDOVICO deinde filiô, regni & Imperii hærede designatô, (*Eginhard.*) mortuus est Aquisgrani, (*A. Æ. V. 814.*) quod est Gallia Belgicæ oppidum, septuaginta natus annos, post CHRISTI natalem, annô octingentesimô decimô quartô, quum per annos ferè XIV. Cæsar fuisset, Germanorum omnium primus ad eam evectus dignitatem. *Carolo etatis annos assignant 72. Eginhard. Gaguinus & alii. Auctor annalium Francicorum 71. adscribit. Frising. l. 5. c. 31.*

Ipsô regnante, (*Eginhard. in vitâ Caroli M. Sigeb.*) per Italiam, Germaniam, Gal-

Galliam XXI. tantum erant CIVITATES, uti vocant METROPOLITANÆ, Roma, Ravenna, Mediolanum, Forum Julii, Gradus, Colonia, Moguntia, Salisburgum, Treveris, Rotomagus, Senones, Vesontio, Lugdunum, Rhemi, Arelatum, Vienna, Tarentasia, Ebrodunum, Burdegala, Turones, Bituriges.

Metropolis ex  $\mu\eta\tau\epsilon\rho\varsigma$  &  $\pi\acute{o}\lambda\iota\varsigma$ , id est,  $\mu\eta\tau\epsilon\rho\iota\varsigma$  &  $\pi\acute{o}\lambda\iota\varsigma$ , juncto nomine, dicitur ea civitas, unde colonia deducta est. Ulpianus lib. 48. D. de officio Proconsulis Ephesum Metropolim appellat: Isidorus ex  $\tau\acute{\omicron}\varsigma$   $\mu\epsilon\tau\rho\upsilon\varsigma$ , id est; mensuram fictum vocabulum tradit, quod & distinct. 21. asseritur, sed falso. Denique Metropoles ad extremum dicte sunt matres urbium; sive capita provincie, lib. 1. C. de Metrop. Berytho, & apud Solinum & Marcell.

Ejus parens Pipinus, Exarchatum, Longobardis ereptum, Episcopi Romani  
fidei



fidei commiserat, ut supra diximus, (*Regin. lib. 2.*) quemadmodum quidem memoriae proditum est: Ipse verò planè illis dedisse eum fertur: quod tamen in dubium à multis vocatur.

Qui fuit ei familiaris, & scriba juratus EGINHARDUS, (*in vitâ Caroli Magni*) divi Petri, quam vocant, Ecclesiam Romæ, præ cæteris ei valdè charam fuisse, magnamq; vim auri, argenti, gemmarum illuc deportatam & plurima Pontificibus ab eò munera esse missa, scribit: nam hoc illum in primis egisse diligenter, ut ipsius operâ studiòq;, urbs Roma veteri polleret authoritate, & sancti Petri Ecclesia, non solum ipsius esset incolumis tutaq;ve patrociniò, sed etiam opibus inter alias maximè floureret. Hæc ille duntaxat: quod verò tot tamq;ve potentes urbes dederit, quæ ditionis erant imperii, ne verbum quidem: imò, quum à quartâ in Italiam profectio, factus esset CÆSAR, urbis Romæ, & Pontificis, & totius Italiae, non publicas tantum, sed Ecclesiasticas etiam res & privatas, ordinasse scribitur. *Eginhardus vel Einardus*  
*Scriptor*

scriptor vitæ Caroli Magni, ejusdem Imperatoris non cancellarius tantum, ut Trubeimius, verum etiam gener fuisse scribitur. Videatur Jacobus Curio l. 2. rerum Chronol. it. Justus Rheberus in titulo Tomi sui historic. Germaniæ.

Etenim, cum nondum esset Cæsar, sed Franciæ tantum Rex, (Sigebert.) debellato Longobardorum Rege, Desiderio, sicut diximus, Romam venit, & Concilium habuit; (Dist. 63. c. Hadrianus Papa. 2.) In eoque sicut ipsorum libri dicunt, Adrianus I. totaque Synodus eligendi Pontifices & ordinandi sedem, uti vocant, Apostolicam, & Episcopos confirmandi, jus atque potestatem ei concessit. Blondus Decad. 2. l. 1. Gaguinus. l. 4. c. 1. Aventinus Annal. Bessorum l. 4.

Multas Carolo tribuit & principe viri dignas virtutes Eginhardus, temperantiam, modestiam, frugalitatem, studium religionis, doctrinam, eloquentiam, & non Latine tantum, sed & Græcæ lingvæ cognitionem: Ad hæc summam curam ac diligentiam in educandis & ad easdem res instituenendis liberis,

PARISINAM quoque traditur ACADEMIAM instituisse, [ *An. Ære Vulg. 792.* ] tum suâ sponte, tum ALBINI præceptoris impulsu, quem habuit in discendis artibus magistrum, sicut Eginhardus dicit. *Vincentius speculo historiali l. 24. Sabellicus Ennead. 8. l. 9. Gaguinus l. 4. c. 1. Jac. Middendorp. l. 2. Academ. orbis Christiani. Curio l. 2. Chronol.*

MENSIBUS etiam Nomina Germanica dedit & VENTIS duodecim, quibus etiamnum utimur : quum ante id tempus, ut idem Scriptor ait, Francones partim Latinis, partim uterentur barbaris. *Eginhard. Sigebert. Ursperg. Albertus Stadensis.*

Huc usque veluti præfatus de Germanis, deque Carolô, paucis percurram deinceps & ostendam, quemadmodum hæc Imperii Romani pars, quæ est ad Occidentem Solem, à Carolô vix demum restituta & recollecta, rursus interierit, & in varias divisa provincias, facta sit multorum ditionis, qui veluti peculium suum illas possident, nec fontem ipsum, unde manarunt, agnoscunt ita quidem, ut illud augustum, & tantoperè celebratum

Impe-

Imperii Romani fastigium, nihil aliud sit hodiernò die, quàm tenuis quædam magni corporis umbra, postquam ex tam inmensâ mole redactum est ad unicam Europæ particulam, Germaniam. Postremò. quemadmodum hanc Imperiorum vicissitudinem & occasum Romanæ Monarchiæ Daniel prænuñciaverit, breviter exponam.

LUDOVICUS ergò, Caroli filius, alter Imperator Germanus, cum Cæsare Græcò LEONE ARMENIO renovavit amicitiam: cumq; ipsius regni annò tertio mortuus esset LEO PAPA: [*Annò Ær. 816.*] successor STEPHANUS IV. in Galliam profectus, Rhemis eum consecrevit. [*An. eod.*] *Frisingens. l. 5. c. 32. Viterbiens. part. 17. Chron.*

Hunc excepit PASCHALIS, [*Annò Ær. Vulg. 817.*] (*Annales Gallie. Antonius l. 4. cap. 203.*) & quia Cæsaris Authoritas non intervenerat, ille per legatos diligenter atqve sollicitè factum purgans, Pontificatum sibi prorsus invito dicebat esse obtrusum. *Gaguinus l. 4. c. 2. Amilius lib. 3. Vita Ludovici edita à Petrò Pithæo.*



Libri Pontificii habent, (*Dist. 63. c. eg Ludovicus*) Ludovicum Cæsarem Paschali, cæterisque post eum, & confirmasse possessionem bonorum & electionem permisisse liberam, ut quem omnes Romani iudicassent eò munere dignum, is pro Pontifice haberetur. Quamvis fidei sit ejusmodi scriptis tribuendum, non video: Sic enim inter se dissident, sic nullò sunt ordine perscripta, ut, quid sequendum sit, intelligi non possit. *Carolus Molineus* *Ætius Bibliothecarium Pontificum Romanorum fautorem & domesticum, hujus capituli auctorem esse, & ob id tanquam homini suspecto minimè credendum scribit.*

Filios Ludovicus habuit tres: **LOTHARIUM**, imperii & regni confortem allegit: **CAROLUM**, qui Pipino Fratri mortuo successit, Aquitaniæ: **LUDOVICUM** Bavaricæ præfexit. *Annales Gallici. Viterbiensis. Emilius lib. 3. Blond. libr. 3. Decad. 2.*

Conjuracione factâ, captus à filiis, [*Annò Æræ Vulg. 833.*] & regnò privatus, Compenii, oppidò Sveffionum, (*Regino lib. 2.*) ad monasticum vitæ genus fuit detru-



trufus. *Historia hujus exauctorationis peculiari scripto exposita est, quod Petrus Pithæus edidit. Videatur etiam Theganus, Chorepiscopus Trevirensis, libro de gestis Ludovici Imperatoris. Item vita Ludovici, incerto auctore edita ab eodem Pithæo. Meminit Gagvinus lib. 4. c. 2. & seqq.*

Galliæ Scriptores Annalium (*Annal. Gallici, Sigebert.*) tradunt, proceres Ecclesiasticos, quorum ille fastum atq; luxum coercere volebat, habitis Aquisgrani comitiis, hanc ei concitasse turbam, & filios, ut facinus tam impium auderent, impulisse. *Fastus sacerdotum coerciti meminit Gagvinus lib. 4. cap. 2. Videatur 3. tomò conciliorum Synodus Aquisgranensis, pag. 810. Dejectionis verò longè aliam causam, uxoris videlicet incontinentiam atque efferatam libidinem, Regino, lib. 2. adfert. Idem habet Viterbienfis; de quibus tamen criminibus sese publicè purgavit, teste Nithardò. lib. 1.*

Liberatus autem sextò post mense, maximo populi desiderio, regnum & omnia recuperavit. *Annales Gallici lib. 4. cap. 2.*

Quia locus ita fert, notandum hîc est obiter, multa fuisse per Galliam habita concilia nationis. Nam proximum ab illô, quod diximus, Aqvensi, Trojæ fuit, oppido Campaniæ: Deinde Rhemis, Gergoviæ, Turoni, Digeone, Lutetiæ, Lugduni, Viennæ, Avenione, Avarici, Aureliæ, & quidem iisdem in locis plura. *Vide Joannis Marii Belgæ librum de schismat. & conciliis, parte 2. cap. 5. & seqq.*

Cum enim status rerum ita posceret: ipsi reges ordinem Ecclesiasticum cæterosque proceres convocabant, ut publicis incommodis mederentur. *Contrarium fieri oportere, docet Gratianus Dist. 17. can. Synodum, c. reg. vestra. c. Nec licuit, c. Multis denudò, Concilia sacerdotum. Legatur Bellarminus. om. 1. part. 2. lib. 1. cap. 12. de Conciliis.*

Ad hunc modum Ludovicus XII. qui cum Juliô II. graves exercuit inimicitias, Turoni concilium habuit suorum, atque Lugduni salutis annô M. D. X. & XI. *Hubertus. Vellejus, appendice ad Cagvinum, cap. 4. Joannes Marius de schismat. & concil. parte 2. cap. 2.*

Nunc

Nunc ad institutum. Ludovico mortuo, [ *Annô Æræ Vulg. 840.* ] Metiqve sepulto, successit **LOTHARIUS**, (*Gagvinus lib. 5. cap. 1.*) cui bellum fuit cum fratribus, quô demum sedatô, & novâ factâ divisione, Ludovico Germania cessit, Galliæqve pars inde à Mosa usq; ad Rhenum: (*Regino lib. 2.*) **CAROLO** autem ob venit Gallia, inde ab Oceano Britannicô & Pyrenæô saltu usqve ad Mosam. Lotharius, præterquam, quòd Cæsar esset, Italiam & Narbonensem quoque provinciam obtinuit. *Sigebertus. De dissensionibus filiorum Ludovici Pii extant lib. 3. Nithardi Angilberti F. Caroli M. ex Berthâ filia, nepotis. Videatur etiam Frisingensis lib. 3. c. 35. Helmoldus lib. 1. cap. 4.*

Ei successit [ *Annô Æræ Vulgaris 855.* ] filius **LUDOVICUS II.** qui Saracenos in Italiam irruentes repressit. *Regino lib. 2. Sigebertus.*

Eô regnante, Papa fuit inter alios **ADRIANUS II.** & quidem non assentiente Cæsare, sicut ipsorum habent libri, creatus à nobilitate Romanâ, civibus atqve clerô, quem vocant. Nam licet essent

in urbe Cæsaris Legati, tamen ad electionem vocati non fuerunt, (*Dist. 63. can. cum Hadrianus.*) Cùmq; graviter id & moleste ferrent, responsum eis fuit, nullò factum hoc esse Cæsaris contemptu, sed cautione quâdam in posterum, ne videlicet, quum est creandus Papa, mos ille, Cæsaris expectandi legatos, tanquam necessarius inoleseat. Eò responso non solum illos fuisse placatos, verum etiam officii causam demissè Pontificem salutasse tradunt. *Hoc moliti sunt Romani Pontifices, ut principes omni jure, in eligendis Episcopis, privarent, quemadmodum Synodus octava Constantinopolitana, sub hoc Adriano habita, id testatur. canone 22, tomò 4. concil. pag. 9.*

Hic autem videre licet mirabilem quandam in ipsorum scriptis varietatem & inconstantiam. (*Dist. 63. cap. ego Ludovicus.*) Etenim, si Ludovicus I. liberam eis electionem concessit, uti ferunt, & paulò supra dictum est, cur ejus nepos, Ludovicus II. injuriam sibi factam esse putabat? Sed quoquò modò res habeat, titulus quidem ejus decreti, quod est in centonibus Gratiani,

ni, manifestè falsus est. Nam Gregorio IV. tribuitur, cum is viginti duobus annis è vitâ decesserit antè, quam Adrianus II. fieret Pontifex. An historiam scripsit mortuus eorum, quæ post acciderent?

Ante Adrianum proximus fuit NICOLAUS I. cujus extat ad MICHAELEM, Imperatorem Græcum, Epistola, (3. Tom. concil. pag. 906. Zonaras Tomo 3.) valdè prolixa, de suâ in omnes Ecclesias potestate. Nam Constantinopoli fuit ab Episcopatu remotus IGNATIUS, & institutus PHOTIUS, inconsultò Episcopò Romanò: sed & ejectæ statuæ. Clamat ergo contra, quam vehementissimè potest. [Annò *Ære Vulgaris* 860. seq.] Extant etiam ejus decreta plurima, plena Majestatis Pæpælis. *Decreta hujus Nicolai Pontificis ex Gratianò collecta sunt, & in 20. titulos dissipata à Johanne Cochleò.*

CAROLUS, Galliæ rex, ut suprâ diximus, [Annò *Ære Vulgaris* 875.] magnâ celeritate proficiscitur in Italiam, resistente licèt alterò fratre, natu majore, LUDOVICÒ, Germaniæ rege, & à Johanne VIII.



Romanò Pontifice, consecratur. *Gagvinus lib. 5. cap. 1. Frisingensis lib. 6. cap. 6.*

Secundò profectus in Italiam, rogatu Pontificis, (*Regino lib. 2.*) ut Saracenis, qui Campaniam rursus invaserant, resisteret, Mantuæ mortuus est. [*Anno Æræ Vulgaris 877.*] *Carolus venenò à Sedechiâ Judæo propinatò interemptus est. Regino, Sigebertus, Gagvinus, lib. 5. cap. 1.*

LUDOVICUM filium habuit successorem, (*Sigebertus*) cognomine BALBUM, sed is per biennium modò præfuit. *Gagvinus lib. 5. cap. 2.*

Ab eò Imperiù Romani summa venit ad CAROLUM CRASSUM, [*Anno Æræ vulgaris 879.*] Ludovici, Germaniæ regis, filium, (*Regino lib. 2.*) qui duobus, quos habebat, fratribus mortuis, Germaniam omnem & Italiam & Galliam obtinuit, & Saracenos, Italiam vexantes, profligavit, (*Frisingensis lib. 5. cap. 8.*) & belligeratus aliquandiu cum Nordmannis, inferioris Germaniæ populò, Galliam Belgicam vexantibus, eam Galliæ partem illis demum concessit, quæ nomen illorum ad hoc usq;  
tem-

tempus retinet. *Frodoardus in Chronico. Sigebertas. Gagvinus lib. 5. cap. 4. Sunt autem Nordmanni iidem cum Danis, ut ex Adamo Bremensi Albertus Stadenfis refert. Helmodus lib. 1. cap. 7. ex Danis Svenonibus & Norveis collectam fuisse multitudinem scribit.*

Post hunc fuit ARNOLPHUS Cæsar, [*Annô Ære Vulgaris 887.*] (*Regino lib. 2.*) fratris filius, egregius princeps, in Italiam profectus, ut Formosum, Pontificem Romanum, ab adversariis liberaret, [*Annô Ære Vulg. 894.*] Romam capit, [*Annô Ære Vulg. 896.*] & in seditionis authores vindicat. *Luitprandus Ticinensis lib. 1. cap. 8. Frisingensis lib. 6. cap. 13. Viterbiensis.*

Ipsò rerum potiunte (*Luitprandus l. 1. c. 5. Regino lib. 2. Sigebertus*) Hungari, ex Scythiâ pulsi, in Pannoniam ruunt, & Ludovico III. Arnolphi filiò, Cæsare, [*Annô Ære Vulgaris 900.*] in Germaniam progressi, & non procul à Lechò flumine, insigni victoriâ potiti, Bavariam Sveviam Franciam, Saxoniam, cædibus, rapinis & incendiis vastant. *Luitprandus l. 2. c. 1. & 2. Regino l. 2. Mysspergensis.*

Arnolphò Cæsare, Triburiæ, quod

fuit ad Moeni ripam oppidum aliquando, concilium est habitum, (*4. tomò concil. 1. pag. 26. Regino lib. 2.*) XXII. Episcoporum Germaniæ, & inter alia multa decretum, (*13. q. 2. c. in Ecclesiast. 14.*) ut sepulturam mortuorum nemo vendat, & ne quis laicus, uti vocant, in templò sepeliatur. *cap. 13. q. 2. Can. quibus 16. & Can. cum gravia. 17.*

Ad hoc tempus magnum exarsit incendium per Italiam : (*Luitprandus lib. 1. cap. 6. Regino lib. 2. Sigebertus*) BERENGARIUS enim & alii quidam Longobardiæ proceres multis ornati beneficiis a Carolò Calvò, conjurârunt adversus Galliam, quò tempore Carolus Crassus imperabat, sed cum frustra molirentur, ad Italiam animum adjiciunt, & inter se diu multumque conflictati, sicut fieri solet, magnis cladibus illam afficiunt. *Blondius Decad. 2. lib. 2.*

Tandem Berengarius victor, Italiæ regnum obtinuit, (*Frisingensis lib. 6. cap. 14.*) & LUDOVICUM Cæsarem, eò cum exercitu profectum, ubi cepisset, exoculâsse scribitur. *Ludovicus hic, excæcatus à Berengariò, non Arnolphi Imperatoris filius & suc-*  
*cos*

cessor fuit, sed Bosonis, Burgundie regis, ex Hermingarda filia, Ludovici II. Imperatoris nepos, qui invitatus in Italiam, & contra juramentum agens, hosti tandem proditur, & Veronæ crudelibus suppliciis excarnificatur, [Annò Æræ Vulgaris 903.] Regino lib. 2. Sigebertus.

Hôc etiam tempore, ne quid omninò calamitatis deesset, SARACENI, APHRI & HUNGARI inmanissimè vastant Italiam. Luitprandus lib. 2. cap. 12. Sigebertus, Antonius 2. parte Historiarum, tit. 15. cap. 16.

Cùmque sub BERENGARIIS, HUGONE, RUDOLPHO, LOTHARIO, ALBERTO, & quibusdam aliis, tam esset funestus & miserabilis pulcherrimæ regionis status, atque in his turbis mortem obiisset Ludovicus Cæsar; [Annò Æræ Vulgaris 912.] (Widichin. lib. 1. Dith. 1.) Germani, SAXONES præsertim, atque Francones, Cæsarem salutabant OTHONEM, Saxonum & Thuringorum principem: sed is, ætate gravis, author ipsis fuit, ut CONRADUM, Franconiæ Ducem, sumerent, qui, Cæsar factus, pleraque omnia de



de consiliò faciebat Othonis: ac deinde, Othone mortuò, cum & ipse graviter ægro-  
taret, convocatis ex nobilitate primis, ora-  
bat, ut Othonis filium, HENRICUM, tunc ab-  
sentem, pro Cæsare agnoscerent. (*Luit-  
prandus lib. 2. cap. 7. Widechindus lib. 1. Sige-  
bertus*) Is est Henricus, vulgò dictus AU-  
CEPS, *Aucupis nomen unde factum, indicat  
Viterbiensis.*

I. aq; videmus, quemadmodum [ *Annò  
Æræ Vulgaris 919.* ] à Francis & Caroli fa-  
miliâ splendor & dignitas Imperatoria  
pervenerit ad domum Saxoniam. *Roswitha  
in Panegyricò.*

Hî duo Cæsares, CONRADUS & HENRI-  
cus, ab Episcopò Romanò non fuerunt  
consecrati, (*Cranzius lib. 3. cap. 4. Sax.*) si-  
cut vocant, ideoque prætermittuntur à  
nonnullis. Henricus quidem oblatam à  
Papâ consecrandi ceremoniam neglexisse  
fertur, quòd bonorum virorum judiciis  
atque suffragiis contentum sese diceret,  
*Widechindus lib. 1.*

Aliquantò post ARNOLPHUS MA-  
lus, Bavarix dux, rei summam ad se tradu-  
cere



cere cogitabat, (*Widichindus lib. 1.*) & collectis utrinq; copiis cum ad Ratisbonam essent ambo exercitus expediri, Cæsar illum ad privatum colloquium evocat, & commemorans quemadmodum à plerisque Germaniæ populis esset creatus Cæsar, dehortatus etiam, ne tot hominum millia, in quibus pleriq; essent innocentes & ignari causæ belli, velit periclitari, flexit ejus animus, atq; ita discessum est ab armis. [*Annò Æ. Vulg. 921.*] *Luitprandus lib. 2. cap. 7. Frisingensis lib. 6. cap. 16. Urspergensis.*

BURCHARDUS etiam Sveviæ dux, rebellat, [*An. Æ. V. 920.*] sed territus potentia Cæsar in deditioem venit. *Widichindus lib. 1.*

Hungari Saxoniam demò vastabant: captò autem ipsorum duce, novem annorum pacti sunt inducias. *Sigebertus.*

Cæsar deinde, ad militiam institutò suò populò, DALMATAS debellat, PRAGAM urbem & WENCESLAUM, Bohemorum ducem, capit, & vectigalem sibi facit BOHEMIAM. (*Widichindus lib. 1. Regino lib. 2. Sigebertus.*) Hungaros, finitis induciis, demò in Saxoniam irruentes,, maximò

præliô vincit, [ *Annô Æræ Vulgaris 933.* ] & tributum, quod illis pendebant Saxones, in egenos distribuit. *Luitprandus lib. 2. cap. 9. Sigebertus.*

Erat ejus consilii, proficisci Romam, (*Luitprandus lib. 4. cap. 7.*) sed valetudine impeditus, filium suum natu majorem, OTHONEM, [ *Annô Æræ Vulgaris 936.* ] imperii designat hæredem, (*Widech. lib. 2. Dithmarus lib. 2.*) Is cum Bohemis, qui tum rebellabant, multis annis belligeravit: Hungaros etiam, cum apud Vangiones, trajectô Rhenô, Franconiam essent ingressi, Saxoniam inde populaturi, cædit atque fugat. (*Sigebertus.*) BURGUNDIAM sibi subjugat: in ITALIAM deinde profectus magnô cum exercitu, & debellatis BERENGARIIS alteram uxorem ibi ducit, Adelheidam. [ *Annô Æræ Vulgaris 951.* ] *Luitprandus lib. 6. cap. 6. Widechindus lib. 3. Dithmarus Mersëburgensis lib. 1. Roswitha in Panegyricô. Regino lib. 2. Frisingensis lib. 6. cap. 19.*

Id ægrè ferens LUDHOLDUS filius, insidias illi struit, (*Widechindus lib. 3. Regino lib. 2.*) & passim multos habuit consilii sui adju-

adjutores, ac in his CONRADUM, Sveviæ ducem, sororium suum : verum obsessus à patre Ratisbonæ, & in angustias redactus, veniam supplex petit, & impetrat. [*Annò Æræ Vulgaris 954.*]

Post hæc Hungari, vastatâ Galliâ, majore, quàm unquam antea, multitudine, in Germaniam irrumpunt, (*Widuchindus l. 3. Dithmarus lib. 2.*) & probè Vindelicorum Augustam in eâ planicie, quæ nomen habet à Lechô flumine, castra faciunt. Eò Cæsar profectus, cum Saxonibus, Francis, Svevis, Bavaris, Bohemis, post ancipitem multamque pugnam, ad interneccionem propè cecidit hostem [*Annò Ær. Vulg. 955.*] aliquot ipsorum regulis in crucem actis. *Bonfinius Decad. 1. lib. 10.*

In Saxoniam reversus, ac rebus ibi constitutis, in Italiam denuò suscipit iter, sed ante profectionem Othonem, filium suum, imperii collegam designavit. *Dithmarus l. 2.*

Ubi tandem Romam venit, Concilium habet, (*Luitprandus lib. 6. cap. 6. & seqq. Roswitha in Panegyrico, Dithmarus lib. 2.*) ei-que præfuit, & JOHANNEM XII. propter

crimina, loco removit, & LEONEM, ejus nominis IX. instituit. [ *Annô. Æra Vulgaris 963.* ] *Regino lib. 2. Sigebertus, Frisingensis lib. 6. cap. 13.*

Ejus extat insertum juri Pontificio decretum, ( *Dist. 63. c. in Synodô congregatâ 23* ) ubi, Adriani I. exemplo, conferre se dicit Othoni Cæsari, ejusque successoribus, in perpetuum, eligendi Papam, ordinandi sedem Apostolicam, & Episcopos confirmandi facultatem: Simul gravissimam pœnam iis constituit, qui non expectatâ Cæsaris approbatione, consecrant Episcopos. En alterum decretum, superioribus aliquot contrarium. *Mendacem oportet esse memorem.*

Subjungitur post Formula jurisjurandi, quò Johanni Papæ ferunt Othonem Imperatorem sese devinxisse, ( *Dist. 63. cap. Tibi Dominico Johanni.* ) verum, quis ille fuerit Johannes, & quotus ejus nominis, quotus etiam Otho, non additur. Sed profectò mirum est, res tam arduas, tantiq; momenti, tam esse negligenter conscriptas. Quod si primus Otho sic juravit, est quòd ei statim possit objici. Quum enim in eâ,  
quam

quam diximus, formulâ juret inter alia, fore, ut nullum Papæ creet vitæ periculum, nec honorem etiam atq; dignitatem abroget quomodo consistet, quando Johannem, sicut diximus, locô dejecit, & alterum instituit? Conciliet ista qui potest.

Otho, propter motus, iterum in Italiam contendit, & rebus compositis, domum revertens, ad initium Maji mortuus est, Magdeburgi sepultus, annô salutis nongentesimô septuagesimô quartô. (*Widuchindus lib. 1. Dithmarus lib. 2.*) Propter rerum gestarum amplitudinem & præstantem virtutem vocatur MAGNUS. (*Helmoldus Buzovienfis lib. 1. cap. 6.*)

Othoni II. rebellabat HENRICUS, Bavarix dux, verum armis fuit ad officium adductus, *Sigebertus.*

Erat tum Gallix rex LOTHARIUS: fratrem hujus CAROLUM, Lotharingix ducem Cæsar constituit, [Annô *Æra Vulgaris 963.*] eâ lege, ut esset Imperii beneficiarius. (*Sigebertus, Reginonis continuator.*) Nam provinciam hanc à CAROLO SIMPLICI, Gallix Rege, Cæsar HENRICUS obtinuerat,



erat, ut tradunt annales, & ad posteros ordine transmisit. *Sigebertus.*

Hoc ipsum autem agrè ferens Lotharius, collectò repentè exercitu, Aquisgrani celeriter accurrìt, & inopinantem Cæsarem ferè oppresserat. (*Dithmarus lib. 2. Sigebertus.*) Cæsar eam contumeliam ulturus, cogit manus, & Lutetiam usque progressus, magnâ & illatâ & acceptâ clade, pacem demum fecit. *Wilhelmus Nangius in Chronicò suò ad annum 677. Gagvinus lib. 5. cap 6.*

Domum reversus, & inde Romam profectus GRÆCIS, qui Calabriam & Apuliam tenebant, bellum fecit, (*Dithmarus lib. 3. Sigebertus*) sed, amissò exercitu, per mare fugiens, & interceptus à piratis, cum non agnosceretur, depensâ pecuniâ dimissus est, ac Romam ubi revertit, cum reliquiis copiarum Beneventum obsidet, capit, incendit: neq; multò post, in præliò cum Græcis & Saracenis, telò sauciatus, decessit è vitâ [ *An. Ær. V. 983.* ] Romæ sepultus. *Dithmarus lib. 3. Viterbiensis parte Chron. 17.* hunc *Oihonem Sanguinarium* appellatum scri-

scribit, sicut & aliis pallida mors Saracenorum dictus est.

Ei surrogatur voluntate procerum OTHO filius, inauguratus Aquisgrani. (*Dithmarus lib. 4.*) Papam iste constituit BRUNONEM, hominem Germanum, GREGORIUM V. [*Annô Æræ Vulgaris 995.*] Crescentius autem, Consul Romanus, JOHANNEM, Episcopum Placentinum, obduxit illi adversarium: Ubi Romam ergo Cæsar venit, CRESCENTIUM sociosque gravi & ignominioso supplicio afficit, Johannem autem, ejus nominis XVII. oculis privat. [*Annô Æræ Vulgaris 998.*] *Lampertus Schafn. Sigebertus.*

Et, quia propter successionem Imperii perpetuæ erant turbæ, constituit adjutore Pontifice, ut certi Germaniæ principes viri jus & potestatem deinceps haberent, eligendi Cæsares: ne quis videlicet dignitatem illam, velut hæreditariam, posthac invaderet: decretum hoc incidit in annum post CHRISTI natalem circiter millesimum. *Martinus Polonus in Chronicis, Leopoldus de Badenberg de juribus regni & impe-*

*imperii c. 2. Rudolph de Columna de translatione Imperii, Marsil. Patav. de translatione Imperii. cap. 11. Nic. Cusan. de Concordantiâ Catholicâ. lib. 3. cap. Anton. hist. parte 2. tit. 16. c. 4. Platin. in vitâ Gregorii, aliq̄ infiniti. Verùm ab istis dissentiunt, Aventinus lib. 5. Annalium Bojorum, Jacobus Curio lib. 2. rerum Chronolog. Onuphrius lib. de comitiis Imperatoris, Cass. Peucerus lib. 4. Chron.*

Regnabat tum in Gallis ROBERTUS, vir pacis amans & literarum (*Gagvin. lib. 5. c. 9.*) Añales eum celebrant, quòd templa mlt̄a construxerit, & magnificè dotâr̄it, quodq̄; Romam adierit religionis causâ. Roberti Galliarum regis, insignis pietas fuit: quippe qui aliquot sacra Cantica, quorum adhuc in Ecclesiâ usus est, conscripsit, ut: *Spiritus sancti adsit nobis gratia. It. ÷ Nativitate Christi, Judea & Jerusalem. Item collecta de martyribus: Concede nobis, Domine. Legatur Helgundus Floracensis in vitâ Roberti regis.*

POLONIÆ duci BOLESLAO, regiam dignitatem Otho III, Cæsar & immunitatem tribuit,

buit, [ *An. Æræ Vulg. 1000.* ] ut ipsorum habent Annales. Est igitur hoc illius regni principium. *Mechov. in Chron. Polon. Mart. Cromer. lib. 3. hist. Polon. Curæus Annal. Siles. part. 1. Cranx. Sax. lib. 4. c. 33.* His fide dignis scriptoribus contradicens Bodinus lib. 1. cap. 9. *Reip. impudenter scribit; Polonos sceptrâ regia sibi ab Imperatoribus Germanicis oblata recusasse.*

Ex Italiâ demum rediens Otho, in itinere mortuus est. [ *Annô Ær. Vulg. 1002.* ] *Dithmarus lib. 4. Hermannus Contractus, Propter singularem prudentiam, & ingenium excellens, Mirabilia mundi nominatus est, teste Viterbiensi.*

Post eum fuit Cæsar HENRICUS, ejus nominis II. Bavariæ dux, Othonis Magni, Saxonum Ducis atqve Cæsaris, propinquus. *Viterbiensis, Dithmarus lib. 5.*

Is, pacatis in Germania rebus, & adversariis partim humanitate summa deductis ad amicitiam, partim debellatis, Italiam accessit, & Saracenis ereptam APULIAM imperio restituit. *Hermannus Contractus, Dithmarus lib. 6.*



Consecratus deinde [ *Annò Ære Vulgaris 1014.* ] à BENEDICTO VIII. missò exercitu in Germaniam, ipse per Seqvanos profectus, in colloquium venit cum ROBERTO, Gallorum Rege, firmatâ utrinque amicitia. *Sigebertus Hedio parte 3. Historie Ecclesiast. lib. 9. cap. 3. eòs de Ecclesie statu corrigendò, quidve cum Romanò Præsule acturi essent, cum Patavii convenissent, consilia contulisse scribit.*

Fuit hic Ecclesiasticis admodum gratus Cæsar, quòd plurima in ipsos beneficia conferret. *Urspergensis. Hinc ab Helmoldò lib. 1. cap. 16. Pii cognomentò ornatur. Hartmannus Schedel. in Chronicò Humilem vocat.*

Henricò mortuò, [ *Annò Ære Vulgaris 1024.* ] cum inter principes Electores non conveniret, interregnum fuit aliquandiu. (*Urspergensis.*) Demum successit Franconiæ Dux, CONRADUS. Is Hungariæ Regem STEPHANUM ad pacis condiciones adegit, & compositis Germaniæ rebus, in Italiam, ubi ad defectionem pleraque spectabant, contendit. Et



Et primò quidem Mediolanum obsidet, postea Romam profectus, & à JOHANNÉ XXIII. consecratus, [ *Annò Æræ Vulgaris 1027.* ] acclamante populò, salutatur Augustus. Multatis demum iis, qui res novas moliebantur Italiam pacavit, & in Germaniam reversus, cum demò per Italiam novi motus orirentur, profectus illuc, in conjurationis authores animadvertit. (*Viterbiensis.*) In his erat Archiepiscopus Mediolani, nec prius conquivit, quàm omnia suæ ditionis fecisset. *Sigebertus, Urspergensis.*

His rebus perfectis, domum reversus, Trajecti, quod est ad Batavorum fines oppidum, mortuus est. [ *Annò Æræ Vulgaris 1039.* ] *Frisingensis lib. 6. cap. 31.*

Successorem habuit de principum voluntate filium HENRICUM, ejus nominis III. qui Bohemos rebellantes domuit, & vectigales fecit. *Frisingensis lib. 6. cap. 32. Viterbiensis 17. parte Chronici.*

Hungariæ Regem PETRUM, à suis ejectum, aliquoties restituit, totamque regionem pacavit, etsi non sine magnâ suorum cæde. *Sigebertus. Schaffnaburgensis.*

*sis. Urspergensis. Contractus, Michaël Ritius de Regibus Hungariae, lib. 2. Bonfin. decad. 2. lib. 2.*

Romæ tum erant permagni tumultus, quia de PONTIFICATU tres contendebant, & malis artibus omnia tentabant. (*Frisingensis lib. 6. cap. 32. Viterbionensis,*) BENEDICTUS IX. SYLVESTER III. GREGORIUS VI. Ejus rei causâ Cæsar eò profectus, & per obsidionem urbe captâ, conventus agit, & Bambergensem Episcopum. SVITGERIUM constituit Papam, qui mutatô nomine dictus est CLEMENS II. [*Annô Ær. Vulg. 1046.*] à quô deinde fuit ipse consecratus. *Frisingensis lib. 6. cap. 33. Sigebertus, Schafnaburgensis Urspergensis, Contractus. Sabellicus lib. 2. Enneade 9. hos Pontifices tria rerum monstra appellat.*

Tum cives denuò jurârunt, in creandô PAPA nihil nisi de Cæsaris arbitriô, sese facturos. (*Sigebertus. Platina in vitâ Clementis II.*) Pacatâ iterum Italiâ, cum in Germaniam venisset Cæsar, mortuus est Clemens Pontifex, & Bambergæ sepultus. Quô cognitô, Cæsar Bopponem,

Frisingensem Episcopum, illis constituit Papam. Is est DAMASUS II. Cumque & hic non amplius viginti tres dies præfuisset, mortuo successit, est, mandatu Cæsaris, Tullensis Episcopus, LEO IX. [*Annô Æræ Vulgaris 1049.*] Boppo hic Ottoni Frisingensi est Patriarcha Aquilejensis, lib. 6. cap. 33. Hermannus Contractus Brixientem Episcopum vocat.

Hujus extat pars quædam Epistolæ, (*Contra Epistolam Nicetæ Abbatis, dist. 41. c. Omnino*) quæ dicit, Episcopo, Presbytero & Diacono non licere causâ religionis uxorem deserere, sed æquum esse, ut, quæ necessaria sunt ad tolerandam vitam, ei subministret: veruntamen, ut cum ea det operam liberis, minimè licere, quum Paulus dicat, (*1. Corinth. 9.*) sibi quoque liberum esse non minùs, quàm reliquis Apostolis, uxorem circumducere. Quod quidem ille sic interpretatur, Apostolis ideo fuisse præstò semper uxores, ut ab iis, quos CHRISTI religionem atque fidem mariù docebant, una cum ipsis alerentur, non autem, ut conjugii munus exercerent, & in complexum venirent: Nam

Nam idcirco Paulum *circumducendi* verbô, non *amplectendi*, voluisse uti. De Nicetâ, ejusque contra Romanos scriptis, videatur Sigebertus Gemlacensis, ad annum CHRISTI 1054. Martinus Chemnitius, parte 3. Concilii Tridentini, eum non Græcæ, sed Latine Ecclesiæ membrum fuisse autumat, licet Græcus natione fuerit.

Annô suprâ millesimum quingvagesimô, Româ LEO profectus, concilium habuit Episcoporum XLII. Moguntiaë, Præside Cæsare. Schafnaburgensis, Hermannus Contractus, Urspergensis, Cranzius Saxon. lib. 4. cap. 34. Frisingensis lib. 6. cap. 33.

Trienniô post mortuus, Eistetensem Episcopum, Gebhardum, ita volente Cæsare, successorem habuit. [Annô Æræ Vulgaris 1055.] Is fuit VICTOR II. Urspergensis, Lambertus Schaffnaburgensis, Continuator Contracti.

Cæsar in Italiam profectus, ac rebus ibi compositis, in Germaniam reversus, cumque Galliarum rege HENRICO, ejus nominis PRIMO, collocutus, in Saxoniâ mortem obiit, [Annô Æræ Vulgaris 1057.] sepul-

sepultus autem Spiræ. *Lambertus. Schafn.*  
 Morienti aderat Papa, multiqve alii proce-  
 res.

Erat ei filius HENRICUS, adolescentu-  
 lus admodū, sed jam antea designatus Cæ-  
 sar. (*Frising. lib. 6. cap. 24.*) Administratio  
 autem penes matrem erat, & Episcopū Au-  
 gustanum. *Schafnaburgensis, Sigebertus.*

Non multò post moritur etiam Victor  
 II. Papa, quum paulò amplius bienniò  
 præfuisset. (*Schafnaburg. Continuator Con-  
 tracti.*) Ei successit Fridericus, è familiâ  
 Lotharingicâ, dictus STEPHANUS  
 IX. Eò, paucis post mensibus extinctò  
 Florentiæ, BENEDICTUS quidam, auxi-  
 liò suorum, inconsultò Cæsare, Papatum  
 invasit, ejus nominis X. Romani factum  
 hoc minime probant, suiqve purgandi  
 causâ, missis ad Cæsarem Legatis, quam  
 ipsius parenti fidem præstitissent, eandem  
 ei quoque deferunt, & ut legitimum ali-  
 quem Pontificem constituat, orant. Ita-  
 que dejectò Benedictò, Florentinum E-  
 piscopum Gerhardum Cæsar illis tribuit,  
 qui fuit NICOLAUS II. [*A. Æ. 1159.*]



Rempubliam geri per fœminam, Cæsaris matrem, ut suprà dictum est, Germaniæ principes molestè ferebant; (*Autor vite Henrici IV.*) quapropter inventa ratio fuit, ut ab illâ distraheretur filius: quò factò, rei summa penes Moguntinum & Coloniensem Archiepiscopum in primis erat. Ab his nonnunquam adhibitus Bremensis Archiepiscopus ADELBERTUS, mirè gratiofus Regi adolescenti fuit. (*Schafn. Ursperg.*) Cumq̄ve solus illum possideret, bona sacra sibi suisq̄ve distribuit, abbatias in primis; & ut minori flagraret invidiâ, Cæsari, persuasit, ut aliis etiam principibus illas conferret.

Interea Nicolaus II. moritur, cui Parmensem Episcopum Cæsar sustituit: Et quia Senatui Romano nihil communicaverat: ideoq̄ve ad turbam res spectabat, Lucensis Episcopus fuit electus, ALEXAND. II. Dimicatum quidem fuit inter eos acerrimè, sed Alexander tamen, superior armis, rem obtinuit. (*Annò Æræ Vulgaris 1062.*)  
*Frisingensis libr. 6. cap. 34. Sigebert.*

Bremensis Archiepiscopus, quum solus administraret apud Cæsarem omnia, collegas in se concitavit Episcopos, ab iisque demum fuit ejectus: (*Schafn. Adamus Bremens. lib. 4. cap. 7.*) & quanquam loco deinde restitutus fuit, tamen non diu supervixit, & Cæsar necessitate coactus, quum de Republicæ statu plerique omnes quaererentur, Coloniensem Archiepiscopum, ANNONEM, ut procuracionem susciperet, orabat. Is autem quum insolenter & iniquè multa fieri videret, excusans ætatem & valetudinem, munus ei postea resignat. *Bremensis hic Archiepisc. Albertus fuit, non ut quidam volunt, ex Bavaris oriundus, sed Frederici Saxonie Palatini F. Dedonis primi Wettinensis familie nepos: princeps magnificus, & ad summa natus, ad quæ contendenti mirabilis fortune vicissitudo objecta est. Vide Adamum Bremensem Canonicum Ecclesiasticæ Historiæ lib. 4. Albertum Stadensem, & Albert. Crantzium in Metropoli.*

Tunc verò Cæsar XXII. annorum  
 adolescens, naturâ proclivis in vitia  
 N 2 magis

magis etiam lascivire cœpit: (*Urspergensis*) & quum uxorem BERTHAM alioqvi non amaret, multas fovebat concubinas: deinde, passim in Saxoniâ castellis excitatis, in fervitutē eos redigere cogitabat, neq; suos ministros, qvi libidinosē multa facerent & insolenter, coërcebat. *Bertha* uxor *Henrici 4.* nominatur à *Viterbiensi*, *Orbonis Italiae Marchionis filia.*

Saxones igitur tam Proceres, quàm Episcopi, sancitō fœdere, de vindicandâ libertate, arma capiunt, (*Schafnaburgensis*) quæ vix tandem, post multam intercessionem, deposuerunt, cum postulatis eorum ille fatisfecisset, fugâ nocturnâ vix elapsus. *Autor vitæ Henrici. Helmoldus lib. 1. cap. 27. & seqq.*

Alexandrô II. mortuô, [*A. B. V. 1073.*] Romani proceres, inconsultô Cæsare, substituerunt HILDEBRANDUM, (*Frising. lib. 6. c. 34. Platina.*) qvi GREGORIUS dicitur, ejus nominis VII. Eô cognitô Cæsar per Legatos cum illis expostulat: simul Papam, ut sibi de eô fatisfaciat, monet. Ille, se invitum, nihilqve tale cogi-

cogitantem, ad hoc munus esse pertractum, nec inaugurari voluisse, respondet, antè, quàm ipse, cæteriq; Germaniæ principes electionem approbassent. Ita Cæsarè placavit, & ipsius voluntate postea fuit confirmatus. *Schafnaburgensis.*

Missis deinde Legatis in Germaniam, Episcopis aliquot, Synodum per illos habere volebat: (*Schafn.*) Episcopi verò nostrates illud recusabant, quòd contra morem, & nationis privilegium esse dicerent. Cum hoc non succederet, conciliis aliquot habitis per Italianam, (*Sigeb.*) decernit, ne Sacrifici habeant uxores, verùm ut eas ab se dimittant, aut loca decedant. Hoc suum decretum in Germaniam emissum ad Episcopos, urgebat omninò sanciri, constitutâ pœnâ. Clerus autem, uti vocant, & Sacrificorum turba strenuè reclamabat, hæreticum vocans, qui tam impium dogma proponeret. CHRISTI dictum (*Matth. 19.*) videlicet esse, quòd non omnes verbum illud capiant. Pauli dictum (*1. Cor. 7.*) esse, ut, qui non continent, uxorem ducant: Istum autem, post-

habitò Christi verbò, & contemptà Pauli auctoritate, velle homines cogere, ut legitimum & a Deò sancitum usum matrimonii projiciant, & turpissimis flammis urantur, & in manifesta flagitia ruant: se potius ab Ecclesiæ ministeriò discessuros, quàm à matrimoniò.

Cum ille nihilo seciùs identidem missis intermunciis, rem urgeret, & acriter instaret, MOGUNTINUS Episcopus ei morem gerere cogitabat. (*Schafn.*) Et primò quidem leniter suos monebat: pòst autem Erphurdix habitò conciliò, [*An. Ar. Vulg. 1075.*] placidè rem concitare volebat: sed parùm abfuit, quin impetu factò trucidaretur. *Nauclerus volum. 2. gener. 36. Carolus Sigon. lib. 9. de regnò Italiae.*

Interea Cæsar, ut anni superioris ignominiam ulcisceretur, quando circumfessus à Saxonibus, fugà sibi salutem nocturnò tempore quæsierat, arma parat, & ruptà pace, quam annò superiori fecerat, quantas omninò potest, copias colligit, & mense Juliò [*Annò Ar. V. 1075.*] Saxones, qui



crebris legatis pacem frustra sollicitarant, aggressus, ingenti præliò vincit, non absque magnâ clade suorum, desideratis ex primâ Nobilitate non paucis.

A victoriâ progressus, longè lateqve fines eorum populatur, (*Schafn.*) & per internuncios, ut sese dedant, hortatus, à suâ benignitate sperare omnia jubet: sed id frustra fuit, tametsi pauci quidam obtemperarunt. Saxonicum bellum gubernabant imprimis Halberstadiensis Episcopus, Bucco, & Bavariæ dux OTHO, profligatus à Cæsare.

MOGUNTINUS iterum sollicitatus à Gregoriò VII. Concilium alterum habet, (*Schafn. Nauclerus*) deqve cleri coelibatu denuò proponit, sed eòdem modò fuit exceptus, ut nuper, inqve magnò versabatur vitæ discrimine. Quare cogitationem hanc omnem sibi deponendam esse judicabat.

Saxonibus profligatis, exercitum Cæsar dimiserat, & principes auxiliares: verùm eâ lege tamen, ut ad XI. Calendas Novembris iterum sibi præstò essent armati.

mati. Cùm is dies venisset, aderant pleriq; & in his Episcopi multi, sed non eò numero, quò prius. Ibi denuò Saxones de pace Legatos mittunt, positis castris apud Northusium: Cæsar hanc unam esse pacis rationem ostendit, si sese dedant: & quanquã illi quidvis facturi potiùs viderentur, quam hoc ipsum, tamen, cùm intercessores & legati, à Cæsare missi, viri principes, amplissimè illis pollicerentur, fore nimirum, ut nequæ libertatis, nequæ bonorum facerent ullam jacturam, assenserunt tandem, inque potestatem eius venerunt, Magdeburgensis, Halberstadiensis Episcopi, Bavariæ dux Otho, Saxoniz dux Magnus, Fridericus Comes Palatinus: deinde ex reliquâ nobilitate quam plurimi. *Helmoldus lib. 1. c. 27.*

Cæsar initio quidem custodias illis posuit, non illiberales, verum postea discedens à pactis, in diversa loca jussit eos deportari, Bavariæ verò ducem OTHONEM deinde non tolùm liberavit, sed per familiarem etiam habuit, reliquos autem, neque missos fecit, & ipsorum bona dedit aliis diripienda: Deinde novis castel-

castellis atque propugnaculis extractis omninò cervibus imminebat & libertati Saxonum: Toti verò administrationi per suam absentiam præfecit Othonem Bavarum, qui genus ducebat è Saxonîâ.

Bambergensibus deinde constituit Episcopum, & Coloniensibus & Fuldensibus Abbatem.

Delatus autem jampridem ad Papam fuit, hòc nomine potissimum, quod præfecturas Ecclesiasticas divenderet: Itaque per legatos Pontifex eum citat, ut intra certum diem Romæ sit præstò, causamque dicat. Ille autem Wormatiæ conventus agit Episcoporum & Abbatum: (*Sigebert. Marian. Scotus lib. 3. etate 6.*) ibi decernitur, *quia malis artibus ad Pontificatum ille pervenisset, removendum esse loco:* simul per Legatos hoc Romam enunciatur. Sed Pontifex nihil eò commotus, [*An. Æ. V. 1076.*] & illum EXCOMMUNICAT & Moguntinum, & Trajectensem, & Bambergensem Episcopos, imprimis, cum ante

te à quosdam ejus familiares excommuni-  
casset, quorum consiliis putabat eum ad  
ejusmodi res impelli. *Apud Sigonium de re-  
gnò Italiae l. 6. extat fulmen Pontificium in  
Henricum Imp. vibratum, plenũ arrogantia  
& impietate. De hac excommunicatione sic  
loquitur Otho Frisingensis Episcopus: Lego &  
relego Romanorum regum & Imperatorum ge-  
sta, & nunquam invenio quenquam eorum  
ante hunc à Romanò Pontifice excommunica-  
tum, vel regnò privatum: lib. 6. Chronic. c. 35.*

Porrò, Germaniæ Principes aliquot ve-  
hementer offensi (*Avent. lib. 5.*) moribus  
ingeniòqve Cæsaris, præsertim quòd, præ-  
ter datam fidem, SAXONES, odiò tam ob-  
stinatò persequeretur, conjurant in illum,  
eoqve magis, quòd ei sacris esset interdi-  
ctum: ideoqve captivos dedititios, quorum  
ipsi custodiam haberent à Cæsare deman-  
datam, dimittunt, quòd nullá fide se puta-  
rent ei devotos.

Eòdem tempore, quidam ex nobilitate  
per Saxoniã, concitatis aliis, & in suas par-  
tes adducit, & castella passim extructa, par-  
tim vi & meriò, partim deditione capi-  
unt

unt, & præfidiarios dimittunt incolumes, jurejurandò prius obstrictos, ne post in Saxoniam militarent.

Eò cognitò, Cæsar, astutò quòdam consiliò, reliquos principes captivos ultrò dimittit, ut in Saxoniam reversi, fidelè operam ei præstarent, in plectendis rebellibus: Nec enim alià ratione faciliùs ad optatum finem sese posse pervenire videbat, quàm si factiones inter ipsos excitaret, & alteros ab alteris divelleret: sed non respondit eventus. Nam domù illi reversi, quòd perspectù haberent ejus ingenium, conjunctis animis & viribus, pro communi libertate sibi pugnandum judicabant: Idem quoque dux Otho fecit, illò desertò: Cumque bonæ spei plenus, per Bohemiam, Cæsar in agrum Misenum irruisset, Bohemicis copiis adjutus, certior factus de concordia Saxonum, & exercitu jam instructò, rebus desperatis abiit.

Tunc demum Germaniæ Principes, constitutâ die, maximò numerò conveniunt: Venit etiam eò Legatus Papæ, & causis explicatis, quamobrem esset excommunicatus, hortabatur eos, ut alterum



crearent, quod illi sua sponte facturi erant alioqui. Nam inde à teneris annis repetitâ Cæsaris vitâ, labē & dedecus & opprobrium Imperii illum esse demonstrabant: & quia gravissimis cladibus Rempublicam affecerat, abrogandum ei magistratum esse decernunt. In his angustiis ille positus deprecari cœpit per legatos, atque supplicare. Post multam actionem, hæc ei conditio proponitur: iudicio se sistat, & cognitioni subiciat Papæ, quem Augustam evocaturi sint ad Calendas Februarias, absolutionem impetret illius, ante diem anniversarium excommunicationis: nisi faciat, totâ causâ ceciderit: Copias dimittat: Spiræ privatus interim vivat, parvâ cum familiâ: publicâ rem nullam gerat, neq; fasces, vel Imperiî sibi sumat insignia, donec legitime sit decisa controversia. Recipit ille conditionem, & Spiræ dum esset, consilium init ad eundæ Italiæ, quò Papam sibi mature placaret.

Ingressus iter cum uxore & filiolo, per Burgundiam atq; Sabaudiâ, hyeme asperimâ, non sine sumâ difficultate vitæq; periculô, vix tandem in Italiam descendit.

(Schafn.)

(*Schafn. Bertholdus Constantiensis.*) Amanter exceptus à Magnatibus & Episcopis ejus regionis, quòd animò in Pontificem iratò, illum eò venissè, putarent.

Pontifex interim, Germaniæ principum rogatu, susceperat iter & progressus aliquos usq; de Cæsaris adventu cognoscit. Itaq; subsistit, ut ejus rei causam intelligat.

Cæsar deinde missâ legatione splendidâ & in hac, fœminis aliquot illustribus, quas inter una ferebatur obsequentior esse Papæ, de absolutione Pontificem orat: Gravate quidè ille primò, neq; sibi licere quicquam in eò facere dicebat, nisi coràm adfint accusatores: Post multam actionem, expugnatus demum precibus, non abnuit.

Cæsar autem, anteqvam in illius conspectum veniret, totum triduum permansit in arcis, ubi Pontifex erat, areâ, & vestibulò, tenui simpliciq;ve cultu, depositis regiis insignibus, nudis pedibus, & ad vesperam usq; jejunos. (*Benno Cardinalis in vitâ Gregorii VII. Urssperg. Berthol. Constantiens.*) Quartò demum die admisus est; ibi tum has ei leges Papa proponit:

*Sistat se cognitioni suæ: respondeat accusationibus Principū: convictus ab imperiō decedat, neq; vindictā ullo tempore moliat; interea vivat privat9: neq; publico nomine aliquid gerat: fidem etiam & jusjurandum suis remittat: Consiliarios & familiares ab se removeat: si quid cōtra faciat, nullū fore, quod nunc ei detur beneficium, & Principibus futurum esse liberū, ut mox aliū sibi deligant.*

Has leges ubi probasset ille, Papa missificat: & ut de criminibus intentatis sese purgaret, panem azymum, quem corpus Domini vocant, sumit, magnis imprecationibus caput salutemq; suam devovens, nisi conficta sint ab adversariis omnia. Deinde Cæsarem, si principum criminationes objectas esse falsas, & injuriam sibi fieri putet, hortatur,

tatur, ut idem ipse faciat, & alteram consecrati panis particulam sumat: cum autem ille excusaret, neque se commodè jam hoc posse facere doceret, nihil amplius urgebat Papa, sed exceptum convivio perhumaniter dimisit. [*Annò Æræ Vulgaris 1077.*]

*Schafn.*

Eâ re cognitâ, proceres Italiæ vehementer offensi fuerunt, quòd tam fœdè tamquæ indignè se submisisset illi, qui pessimis artibus Pâpatum invasisset, qui cædibus & adulteriis omnia polluisset: in ipso, qui justitiæ sit patronus, & ara præsidiumquæ; legum, omnem sese spem habuisse collocatam, & non solum excommunicationem contempsisse, verum etiam in ejus gratiam acres cum Papâ exercuisse inimicitias: Nunc verò ipsum turpissimò planè ad omnem posteritatem exemplò, gravem hanc & indelebilem imperio maculam inussisse, cumquæ; publicò tam Ecclesiæ, quam Reipublicæ hoste in gratiam rediisse. Hæc, & id genus alia multa jactabant, dequæ filiolo Cæsaris eligendò, Romantquæ



que traducendô, & deiciendô Pontifice cogitabant.

Cæsar, eô cognitô, nullâ se ratione melius posse placare illos videbat, quàm si à pactione discederet, & ipsis conjungeretur; Quod cum faceret, Pontificis consilia planè turbavit, sic ut ille susceptum in Germaniam iter omittere cogeretur.

Quod ergò proximum erat, Germaniæ Principibus, quid actum esset, per Legatos nunciat, utque Reipublicæ provideant, hortatur. Fuit hoc annô supra millesimum septuagesimô septimô. *Urspergens. Bertholdus Constantinesis.*

Principes ergò RUDOLPHUM Sveviæ ducem creant Cæsarem: [*Anno Æræ Vulg. 1077.*] eum consecrat Moguntinus. (*Sigebert.*) In Germaniam autem revertens HENRICUS colligit copias: idem facit RUDOLPHUS, qui Saxonû auxiliis potissimum nitetur, & tertiô conflictu graviter vulneratus, non multò post è vitâ decessit. [*Anno Ær. Vulg. 1080.*] *Autor vitæ Henrici 4. Frisingensis l. 6. cap. 35. & de gestis Friderici lib. 1. cap. 7. Helmoldus lib. 1. cap. 28. & 29. Berthold. Constantinesis.*

Hen



Henticus ab eâ victoriâ conventus agit  
 Brixia. (*Frising. de gestis Friderici l. 1. c. 1. Ur-  
 sperg.*) Fit decretum ab Episcopis, qui ade-  
 rant, tam Italis, quàm Germanis, Gregoriũ  
 non esse legitimum urbis Romæ Episcopum.  
 Itaque surrogatur in ejus locum Archiepi-  
 scopus Ravennæ, VICTOR III. Eò factò  
 decretò, Cæsar Romam contendit, Grego-  
 rium obsedit, fugâ tandem dilapsum, Vi-  
 ctorem III. confirmat, ab eòque consecra-  
 tur. *Helmoldus historie Slavicae libr. 1. cap. 30.  
 Marianus Scotus lib. 3. etate 6.*

Gregoriò [*Annò Ære Vulg. 1085.*] mortuò,  
 (*Guthelm. Tyrinus lib. 1. cap. 14. & 15. Æmil. lib.  
 4. Blond. decad. 7. lib. 4.*) qui fuit alter ab eò  
 Pontifex, URBANUS II. [*Annò Ære Vulg.  
 1088.*] Gergoviæ, Arvernorum oppido,  
 (Claremontium vulgò vocant, ubi con-  
 ventus erat multorum procerum, (*Annò  
 Ære Vulg. 1095.*) PHILIPPO ejus nominis  
 I. in Galliis regnante, BELLUM SARA-  
 CENICUM persuadet: cujus deinde  
 fuit Imperator, GODEFRIDUS BU-  
 LIONIUS, qui feliciter multa gesfit,  
 ac HIEROSOLYMAM recuperavit.

*Gagvin. lib. 5. cap. 1. Bellum hoc Sacrum descripserunt præter Guilielmum Tyri Archiepiscopum, author Chronici Hierosolymitani à Reinecciò editi, Fucherius Carnotensis Balduini Regis Capellanus, Robertus, Monachus, Benedictus de Accoltis.*

Urbani successor [ *Annò Ær. Vulg. 1099.* ]  
**PASCHALIS II.** infestus quoque Cæsari fuit. Profecturus igitur, ejus rei causâ, in Italiam, filium sibi successorem Cæsar designat. *Helmoldus lib. 1. cap. 32.*

Is autem exstimulatus (*Ursperg.*) ab aliis, & oblitus officii, quod naturâ nobis innotum est, in summas angustias Parentem conjecit, & abdicare se magistratu coëgit: quum & Papam & plerosque Germaniæ Principes haberet sui consilii factique socios. Itaque Cæsar factus est, ejus nominis V. patre Leodii post mortuò in ærunnis. [ *Annò Ær. Vulg. 1106.* ] *Frising. lib. 7. cap. 12. Viterb. De hoc Imper. Henricò IV. sic scribit Vincentius in Speculò historiali lib. 26. cap. 117. Henricus ore facundus fuit, acer ingenio, elemosynis largus sexagies & bis, acie collatâ, dimicavit.*

Aliquot post annis Italiam vadit ingentium exercitu, ut dissidium, quod erat, inter Rempublicam Imperii & Pontificatum, componeret, & ferrô patefactâ sibi viâ Romanam demum venit. *Frising. lib. 7. cap. 14.*

Cæterum, inde à Constantinô, Cæsares conferebant honores ac dignitates Ecclesiasticas: id autem ægrè tandem tulerunt Pontifices opibus amplificati, quasi rem indignam, eâque de causâ pleræque simultates omnes inter ipsos exarserunt.

Hic ergo Cæsar, quum jus atque potestatem suam urgeret, magnus est Romæ natus tumultus. *Frising, lib. 7. cap. 12. Helmut. lib. 1. cap. 40. Ursperg. Sigeb.*) ita quidem, ut excitatus noctu Cæsar, [*Ann. Ab. Vulg. 1111.*] subvenire suis, qui passim cædebantur in urbe, cogeretur. Profligatis autem factiosis, Paschalem II. capit, neque prius, quam sibi factum esset satis, dimisit, sancitô foedere. Sed reverso in Germaniam Cæsare, Pontifex à pacto discedit, quòd sanctissimis verbis juraverat, & Cæsarem excommunicat. (*V. verb. parte Chronici 17.*) Ea res multos Germaniæ Principes ad rebellionem commo-

movit, & in his præcipuè Moguntinum.  
*Livius lib. 39. Nihil in speciem fal-*  
*laciùs est, quàm prava religio.*  
*Ubi Deorum numen prætendi-*  
*tur sceleribus, subit animum*  
*timor, ne fraudibus humanis*  
*vindicandis, divini juris ali-*  
*quid immistum violemus. Q.*  
*Curtius lib. 4. Nulla res efficacius*  
*multitudinem regit, quàm su-*  
*perstitio: aliòquin impotens,*  
*seva, mutabilis, ubi vanà reli-*  
*gione cœpta est, mèliùs vatibus,*  
*quàm ducibus suis paret.*

Cæsar in Italiam profectus, legatos ad Pontificem mittit de pace, sed inter agendum moritur Pontifex. (*Helmoldus lib. 1. cap. 14.*) Ei succedit [*Annò Ære Vulg. 1118.*]  
 GELASIUS II. Cæsar, quòd de electione non esset interpellatus, Romã venit, & ali-  
 um

um constituit. Gelasius ejectus, Cæsarem & Papam, ab eò constitutum, excommunicat. (*Sigeberti Continuator.*) Cumque per Germaniam ejus Legati defectionem sva-derent, ac principes idcirco convenissent, domum redire Cæsar coactus est: sed interea mortuo Gelasio, Romani CALIXTUM II. elegunt. Is loco deturbat eum, què odio Gelasii, Cæsar creaverat, & intercedentibus nonnullis, cum Cæsare transiit. *Quibus conditionibus transactum sit, explicat Frisingens. lib. 7. cap. 16. Cranzius Saxoniæ lib. 5. cap. 4. Sigon. de Regno Ital. 10. Platina in Calixto. Viterb. part. 17.*

Henrico V. [*Mortuo anno Æra Vulgaris 1129.*] succedit LOTHARIUS ejus nominis III. è Saxonix ducum familiâ. (*Ursperg. Albertus Abbas S. adens.*) Hunc Sveviæ dux Conradus oppugnabat, indignè ferens, ad Saxones Rediisse rerum summam, & in Italiam profectus, occupandi regni causâ, cum interim Lotharius Germaniam teneret, destitutus auxiliis, domum rediit, pacemque cum Cæsare fecit.

Erat



Erat tum Romæ Pontifex INNOCENTIUS II. huic adversabatur ANACLETUS: (*Frising. lib. 7. c. 18.*) & quoniam amplâ natus erat familiâ, cedere fuit coactus Innocentius; Verùm imploratô Cæsaris auxiliô, restitutus est. [*An. Æ. V. 1133.*]

In Germaniam reversus, & ibi rebus compositis, in Italiam redit Cæsar, ingenti cum exercitu. (*Frising. lib. 7. cap. 19. & 20.*) Civitates aliquot rebellantes domat, & in his Anconam atqve Spoletum. Sicilia Regem Rogerium ex Apuliâ & Campaniâ profligat, (*Ritius de Regib. Siciliae lib. 1.*) & inde à Carolô Magnô vix alius majora per Italiam egisse fertur. *Frisingensis lib. 7. cap. 15. Urspergensis, Helmoldus lib. 1. cap. 55.*

In lucem quoq; tunc revocatum fuisse traditur bellorum tempestatibus oppressum JUS CIVILE, quod Justiniani Cæsaris mandatô confutû esse diximus. *Urspergensis. Aventinus lib. 6. Sigonius de regnô Italiae lib. 11. Theodorus Bibliander in Chronologiâ.*

Successorum habuit [*An. Æ. V. 1138.*] CONRADUM Sveviæ Ducem, (*Frising. lib. 7. cap. 39.*) Bavariæ dux tum erat HENRICUS

RICUS, cognomentô SUPERBUS, & idem Saxonix dux, per matrimonium, quod Lotharii Cæsaris esset gener. Is imperium affectans, & multa molitus in Cæsarem, proscriptus fuit, ejusqve possessiones aliis concessæ. Henricus autem, recuperatâ Saxonâ, cum in Bavariam contenderet, mortuus est, relicto filiô; in cujus gratiam SAXONES rebellabant Cæsari, nec id modò, verum etiam WELPHO, Henrici mortui frater, armis sibi vendicabat Bavariam, ejecto LUPOLDO, cui Cæsar eam provinciam dederat: *Frising lib. 2. cap. 22. Ludolphus hic Austriae dux fuit, S. Leopoldi filius, Aventinus lib. 6.*

Paulò antè diximus, quemadmodum Regem Siciliae ROGERIUM Cæsar ejece- rit. (*Urssperg. Viterbiens.*) Cùm autem ad hunc modum tumultuaretur Germania, Rogerius occasionem nactus, invasit Siciliam, & Cæsaris præfectum exturbat: deinde WELPHONEM magnis instigat polli- citationibus, ut pergat facessere negotium Cæsari. (*Bonfin. Decad. 2. libr. 6.*) Facit idem HUNGARLÆ REX, & ipse Cæsarem me- tuens,

tuens. *GEYS A SECUNDUS* Ungariæ Rex, Geysæ Magni pronepos, Borychum, vel ut alii vocant, Broycum filium Calomani Regis ex adulterò natum, regnò ejecit, ob id ei Imperator offensus erat. *Ritius lib. 2. de Regibus Hungariæ. Aventinus lib. 6.*

Tandem profectus in SARACENOS, & amissò exercitu domum reversus, cum in Italiam proficisci cogitaret, rebus omnibus instructis, Bambergæ mortuus est, *Æmil. lib. 5. Aventin. lib. 6. [Annò Eræ Vulgaris 1152.]*

Succesit ei fratris filius, *FRIDERICUS* *ÆNOBARBUS*, Sveviæ dux, ejusnominis I. heroici vir ingenii, *Urspergensis. Frising. de gestis Frider. lib. 2. c. 1.*

Is initio regni principes Germaniæ pacavit. & dissidium illud, quod erat de Saxoniâ, Bavariâque, sustulit; Post magnò cum exercitu Italiam adit. (*Frising. lib. 2. cap. 11. Ottho de S. Blasio lib. 6. cap. 7.*) Veronenses, à quibus erat contemptus, mulctat, & exempli causâ, primis aliquot laqueo gulam frangit. Circa Placentiam excubias sibi fieri jubet, à prin-

principibus omnibus, imperii beneficiariis. Mediolanum obsidet, Aftam diruit. Dertonam complanat. *Guntherus Ligurini lib. 3. Frisingensis de gestis Friderici lib. 16. 17. 18. 19. & 20.*

Romam profectus, consecratur ab ADRIANO IV. Cives tumultuantes opprimit. (*Frising. l. 2. c. 22. 23. & 25.*) Spoletum evertit, vastamque cædem facit. Longobardos domat, & superatis insidiis, quas Veronenses ei collocaverant, in Germaniam redit. Palatinum principem, qui se absente turbas excitaverat, ignominiosè mulctat: Bohemiæ ducem constituit regem. [*Annæ Eræ Vulgaris. 1158.*]

Duo in hoc §. notanda veniunt. Primò ignominiosa Palatini mulctatio, quæ fuit gestatio canum priscis Germanis usitata: meminit ejus *Witechindus monachus lib. 2. Otho Frisingensis de gestis Frider. Imper. lib. 2. cap. 28. Gunther. Ligurini lib. 5. Arnoldus. Lubecens. Continuator Helmoldi lib. 7. c. 2. Duodecim. ad annum. 1155. Crantzius Saxon. l. 3. c. 15.* Eruditè autem hunc morem expressit *Georg. Sabinus in Cesaribus suis hoc tetraſtichô.*



*Mos erat antiquis, qui publica commoda pa-*  
*cis,*

*Cæsare turbâisset bella gerente foris;*  
*Totius Imperii reus inspellante Senatu,*  
*Ut canis impositum corpore ferret onus.*

*Secundo notetur creatio Ducis Bohemice in*  
*Regem. Facta est illa hæc lege, ne dignitas ista*  
*ad posteros transfiret, sed ei honori successor ex-*  
*heres foret. Aventinus.*

Interea Mediolanenses (*Frinsing. lib. 2.*  
*cap. 30.*) multa superbè faciebant in vicini-  
nos, & Dertonam à Cæsare dirutam, re-  
staurabant; itaq; cum ingenti exercitu re-  
versus, Mediolanum expugnat, adjutus à  
Cremonensibus, à Papianis, & Novarianis,  
(*Radev. lib. 1. cap. 32, usque ad 45.*) Captâ ur-  
be paritum est multitudini, principum  
Germaniæ intercessu, quibus illi supplica-  
verant. Longobardiâ totâ in suam pote-  
statem redactâ, legibusq; constitutâ civi-  
tate, discedit ad alios ibi populos. (*Otho de*  
*S. Blasio cap. 11.*)

Post ejus abitum illi rebellant, (*Radev.*  
*lib. 2. cap. 21. & seqq.*) leges præfixas con-  
temnunt,



temnunt, munitiones ab eò factas demoluntur: rursus igitur eò profectus, agrum totum populatur, & quicquid ipsorum ditionis erat, evertit.

Interea graves fiunt adversus illum per Italiam conspirationes: in his etiam erat is, quem diximus, ADRIANUS Papa, qui cum planè statuisset eum excommunicare, mortuus est. [*Annò Æræ Vulg. 1159.*] *Ursperg.*

In Italiam tertio profectus Cæsar: MEDIOLANUM funditus evertit; [*Annò Æræ Vulgaris 1162.*] (*Oth. de S. Blasio cap. 16. Ursperg.*) rebellionis authores capite mulctat, reliquum multitudinem in exilium ire cogit, & Romam obsidens, magnam, exercitus partem ex morbi contagione desideravit. Solutâ igitur obsidione, & per Hetruriam collatis præsiidiis, Spoleti, Anconæ, Ravennæ constitutis pro suo arbitrato, qui Rempublicam gererent, in Germaniam redit.

Adrianò Pontifice mortuò, duo de Principatu contendebant, absente Cæsare, (*Radev. lib. 2. c. 43. Otho de S. Blasio c. 13.*)

VICTOR & ALEXANDER III. In

Victorem Cæsar quidem magis inclinabat: Sed Alexander competitorem, post etiam, augefcente disfidio, Cæsarem excommunicat. (*Mutius l. 18. Johannes Marius de Schismatibus & Conciliis parte 3. c. 11.*)

Eam occasionem, conspicati Mediolanenses, (*Ursperg.*) rebellionem faciunt, Cæsarisque præfectos in multis Italiæ locis ejiciunt, quosdam etiam laqueo suspendunt. Regressus igitur in Italiam dubio Marte cum illis configit: Pontifex belli socius profugit Venetias. *Sabellicus Ennead 9. lib. 5. Noster generat. 41. volum. 2.*

Factâ demum pace per inducias, in Africam profectus, (*Nicetas Choniates lib. 2. de rebus Isaaci Angeli*) adversus Christianæ religionis hostes, & oppressus impetu fluminis, in quod lavandi causa sese demiserat, [*An. Æ. Vulg. 1190.*] periit, (*Arnoldus Abbas Lubecensis Helmoldi continuator nominat fluvium hunc Saleph. Aliis Serra dicitur. Hieronymus Mercurialis l. 4. variar. lection. Cydnium Siciliæ flumen censet, & citat Galenô ex l. de causis procatarcticis, Alexand. M. æstivo tempore, dum se in eodem flumine lavisset,*

set, convulsione ac tremore torporeve captum fuisse scribit.

Successor ei fuit filius HENRICUS, ejus nominis VI. (*Otto de S. Blas. c. 39. & 40.*) Is mortuò Siciliæ Rege Gvilielmô, Rogeriû filio, quum in Italiam secundò venisset, Apuliâ & Calabriâ devictis, Neapoli quoque captâ, Siciliam domat: magnis ibi relictis præsiidiis, propter mobile gentis ingenium. *Urspergensis.*

Deinde Ravennæ, & Anconæ, perque Apuliam & Hetruriam, Optimates constituit. (*Otto v. 23. & 25.*) Cùm deinde filium suum FRIDERIGUM adhuc infantem, Imperiû successorem designasset, de voluntate Germaniæ principum, in Siciliam profectus, vitam finiit. [*Annô Eræ Vulgaris 1197.*] *Ursperg.*

Et quoniam ætate puer erat Fridericus filius, (*Otto de S. Blasio c. 46. & 48.*) ut dictum est, plerique omnes PHILIPPUM, ejus patruum, suscipiendum judicabant: sed vehementissimè Romanus Pontifex obstabat, INNOCENTIUS III. *Ursperg.*

Divisis autem principum animis, cùm

hi Philippum, alii verò Saxonix Ducem Othonem crearent, magnus ex eâ re motus fuit exortus præfertim ad oram Rheni. Philippus verò, partim armis, partim humanitate summâ deduxit adversarios ad officium: ac deinde pacem cum Pontifice quoq; fecit, quem expertus erat infestissimum. *Otto cap. 46.*

Occisus (*A. Æ. V. 1208.*) deinde in cubiculo, successorem habuit eum, de quo diximus, OTTHONEM IV. Saxonix ducem, (*Otto de S. Blasio cap. 50. Arnoldus Lubecens. l. 7. c. 17.*) qui in Pontificis ocellum incurrit, quem prius habuerat amicissimum. Tandem etiam excommunicatus est ab illò; Ideoq; habitis commitiis, Principes Electores à Pontifice sollicitati, ut alium crearent, Henrici VI. filium, Siciliæ regem, FRIDERICUM, cui fidem dederant adhuc infanti, ut paulò supra diximus, evocant è Sicilia. *Ursperg.*

Occurrit quidem illi Cæsar Otho cum exercitu ad Rhenum, ut transitum prohiberet; sed ejectus & in Saxoniam reversus, mœrore, ut creditur, interiit. [*Anno Æræ Vulgaris 1218.*] *Mutius lib. 19.* Atq;

Atq; ita Fridericus est factus Cæsar, ejus nominis II. Friderici Ænobarbi Cæsaris è filio nepos, *Mutius lib. 20. Ursperg.*

Innocentius III. de quò dictum est antè, CONCILIUM habuit Romæ, ) *Tom. 5. Concil. II. Ursperg.* ) quod LATERANENSE vocant, ibi decretum inter alia fuit

*Ut Chrisma simul & Eucharistia, quam dicunt hostiam, sub clavi serventur:*  
*Decretorum Concilii Lateranensis cap. 20.*

*Ut quotannis privata fiat confessio peccatorum cap. 21.*

*Ut electio, facta per civilem magistratum, in Sacris Beneficiis, vim nullam habeat.*  
*cap. 25.*

*Ne, qui sunt ordinis Ecclesiastici, fidelitatem iis, qui laici dicuntur, sine causâ promittant.*  
*cap. 42.*

*Ne constitutiones Principū*  
O 4 *Eccle-*



*Ecclesiis præjudicent. cap. 44.*

*Ut ab omni contributione  
sint immunes Ecclesiastici cap. 46.*

*Ne tributa solvantur ante  
decimas, cap. 54.*

*Ne Divorum reliquiae mon-  
strentur extra capsulam. cap. 62.*

Ad hæc, grave tum erat inter GRÆCOS atq; LATINOS disfidium. (Tom. 4. concil. cap. 7.) Nam super quibus aris Latini misfici-  
cassent: eas contrectare Græci volebant nisi prius lavissent eas & expiassent: Deinde baptisatos à Latinis rebaptisabant. (cap. 4.) Fit ergo decretum, ut ad Ecclesiam Romanam, matrem suam, revertantur, quò scil. ovile sit unum & unus Pastor; nisi pareant, excommunicati priventur ordine. *Reperitur 3. Decretal. tit. de Baptismo & ejus effectus c. 6.*

Romam profectus Fridericus, [ *Anno  
Aer. Vulgaris 1219.* ] ab HONORIO III. consecratur. ( *Ursperg.* ) Qui passim erant per Italiam rebelles, domat, quosdam autem proscribit. Ex iis, nonnulli Romam  
con-

confugiunt, & Pontificis opem implorant. Ea res maximi disfidii dedit occasionem; Nam suos adversarios habere portum ibi atqve domicilium, Cæsar molestissime tulit.

Glifcente odiô, filium suum HENRICUM, de consiliô Principum, designat Imperii successorem, [*An. Ær. Vulg. 1222.*] (*Ursperg.*) & principes Cremonam evocat ad conventum, sed cum aditu prohiberentur, factione Pontificis & Longobardorum, in Apuliam Cæsar revertit, & aliquantò post [*Annô Æræ Vulg. 1227.*] moritur Pontifex, eiqve succedit GREGORIUS IX. qui cæsarem excommunicat, qvòd profectiorem in Turcas, cui sese votô adstrinxisset, non susciperet.

Cæsar deprecatus offensionem, seseqve purgans, cum nihil proficeret, Romam petit, Pontificem dejicit. ejusqve socios graviter mulctat, & alterô indictô Ravennæ conventu, impeditur à Pontifice profugo, qui passim ei multos excitaverat adversarios.

Mortuâ demum uxore, Cæsar, ut pro-

milla præstaret, ac Reipublicæ consuleret, profectioem in Asiam suspicit: (*Ursperg. Johannes Cuspinianus*) per ipsius absentiam verò Pontifex bellum facit, & Apuliam occupat. Re feliciter gestâ multisqve locis recuperatis, & in his Hierosolymâ [*Annô Aræ Vulg. 1229.*] certior factus de Italiæ statu Cæsar, pactusqve cum hoste decem annorum inducias, redit cum exercitu, suaq; facilè recuperat. Pontifex novò fœdere se communit Italiæ procerum, quos Cæsar multaverat, ac deinde rursus eum excommunicat, quòd cum hoste pepigisset.

Cæsar, quietis amans, per legatos agit de pace, quam vix demum impetravit, ac in Germaniam idcirco redit. (*Mutius lib. 20. Cuspinian.*) Pontifex autem, cum naturam mutare non posset, vastatò Viterbiò, Cæsarem rursus excommunicat. Eâ re commotus vehementissimè Cæsar, fremens & iratus Italiam redit: per Hetruriam, per Umbriam, per Longobardiam, per oram Paduanam, multat omnes rebelles: Pontifex idcirco ingeminat excommunicationem, & Venetos fœdere sibi conjungit.

Cæſar per Italiam graſſatus plerisq; omnibus ad officium reductis, Romam obſidet, neq; multò poſt [ *Annò Ær. Vulgaris, 1241.* ] moritur Gregor. Pontifex, cùm Ravennam ſuos evocâſſet ad Concilium, quò tamen illi, viis omnibus obſeſſis à Cæſare, pervenire non poterant: quidam etiam capti fuerant.

Hic ille eſt, qui DECRETALES, uti vocant, EPISTOLAS confarcinavit, magnâ juris Pontificii partem, plurimis onuſtam commentariis. Quâ quidem in re mirum videri poſſit, eſſe homines, qui tantum elaborare velint, ut ea, quæ parùm aptè, perperam etiam & minùs prudenter atq; piè, ſed & ridiculè dicta ſunt, tanquàm oraculum aliquod mordicus arripiant, & in iis interpretandis, enucleandis, veſtiendis omnem operam & ætatem conſumant, quafi eò conducti eſſent, ut alienam ſtultitiam & errorem, vigiliis, & labore ſuò maximò defendant. & in alterius impudentia, ſui pudoris exiſtimationem amittant.

Illud, quod Gratiani decretum vocant, diverſis locis habet inter alia:



Sequendam esse Regulam Ecclesie Romanae, quae sit Beati Petri sedes. Dist. 19, cap. 4, Enimve o.

Non licere Concilium habere, nisi permittente Romano Pontifice. Dist. 17, c. 1. Synodum & c. 4. Nec licuit; item cap. 5. Multis denuo.

Leges Ecclesie Romanae servandas esse tanquam ipsius Petri voce pronunciatas: Dist. 19, cap. 2. Sic omnes.

Quod Ecclesia Romana iugum imponit, etiamsi tolerabile non sit, esse perferendum. Dist. 19, cap. 3, in memoriam.

Ecclesia ministros debere castitatem promittere, ne videlicet ducant uxores. Dist. 19, cap. 2. Sacerdotibus. Item cap. 7, Si laicus & c. & cap. 10. Lex continentia.

Ei, qui non habet uxorem,  
licere



*licere concubinam habere*. Dist.

34. c. 4. *Is quis non habet.* Item c. 5. *Christiano.*

*Papam in suo munere negligentem & remissum, nocere quidem, tum sibi, tum aliis; veruntamen à nemine posse judicari, quòd omnes ipse judicet.*

Dist. 40. c. 6. *Si Papa.*

*Imperatorem debere subesse*

*Papæ, non præesse.* Dist. 96. c. 10. *Si Imperator.* Item. c. 12. *Nunquam de Pontificibus.*

*Reliquos omnes mortales ab*

*hominibus judicari, Papam vero*

*Petri successorè, à solo DEO*

*judicari.* d. 9. q. 3. c. 13. *Nemo judicabit.* Item. cap. 14. *alio-*

*rum in hominum & c. 15. Facta subditorum.*

*Papalicerè populum eximere à*

*fide & iurejurando, quò prin-*

*cipi suo tenentur*, 15. q. 6. c. 3. *alio it.*

IN GREGORII DECRETALIBUS EPISTOLIS, &

SIXTI BONIFACII & CLEMENTINIS & EXTRA-

VA-

VAGANTIBUS, uti vocant, est inter cætera:

*Decretis conciliorum auctoritatem Papæ non subjici.*  
 cap. 4. Significasti. §. Ajunt in Concilio X. de electione & el. pot.

*Pontificis esse, Casarem electum approbare, vel minùs idoneũ rejicere.* c. 34. Venerab. X. de elect.

*Duo præesse mundo luminaria magna, solẽ atq; Lunã: Solis locò Papam esse, Casarẽ verò Lunã:* c. 6. sollicita. X. de major. & obed.

*De adulteriò & aliis criminibus, quod minora sint, Episcopis licere cum iis, qui deliquerunt, agere remissius:* c. 4. & cleric. §. De adulteriis verò X. de judic.

*De Ecclesiæ Romanæ privilegiis Papam solum cognoscere* cap. 12. Cum venissent. X. de judic. Ex-

Excommunicatorum ossa, jam  
sepulta debere exhumeri &  
projici. c. 12. Sacris. X. de Sepultur. c. 5. ad  
her. X. de Privileg.

Papa licere, Imperatorem  
removere loco & magistratu,  
cap. . Apostolica de Sent. & rei in 6.

Casarem teneri, ut fidem &  
fidelitatem Pontifici praestet,  
per jusjurandum: Clement. unico de  
Jurejur.

Ecclesiasticos oportere solutos  
ac liberos esse ab omni sumtu,  
molestia, munere: cap. 7. Adversus X.  
immun.

Post mortem posse aliquem  
declarari haereticum; ejusque  
bona publicari. cap. vergentis 10. X. de  
haereticis, item 24. q. 2. c. 6. Sane profertur. 6.

Filios haereticorum, ad praefe-  
cturam

*Eturam ullam civilem aut sacram non debere admitti.*

*cap. 15. Statutum de hereticis in 6.*

*Ad salutem esse necessarium, ut omnes homines Pontifici Romano subsint, cap. Unam sanctam. De major. & obed. extravag. comm.*

Hæc paucula, ex ingenti acervô defumta, cujusmodi sint, nemo sanæ mentis est, qui non videat,

LEX est, ut eam definiunt homines doctissimi, (*Cic. 1. de legib.*) ratio summa insita in naturâ, quæ jubet ea, quæ facienda sunt, prohibetque contraria. Lex autem omnis ad communem utilitatem referri, (*Cic. 2. de legib.*) & legislator sic erga multitudinem atque Rempublicam affectus esse debet, ut pater suos erga liberos: Quid autem in iis, quæ dicta sunt, simile apparet? ea verò non excusare tantum, sed etiam vestire, & ornare, & illustrare novis commentationibus, & quidvis dicere potius, quam pati dignitatem illorum imminui,

quæ-

quæso, cujus hoc est impudentiæ, ne quid gravius dicam?

Si fastus & avaritia, & dominandi cupiditas & literarum inscitia persuasit illis, ut ejusmodi facerent decreta, si sententiis ipsi variant, nec alii volunt aliorum astringi legibus, quod pari sint potestate præditi, quæso, cur te maceras, ut distorta & repugnantia componas & concilies?

Omitto pelagus illud aut sentinam veriùs. eam videlicet juris Papiæ partem, quæ beneficiorum, uti vocant, (*in Decret. l. 3. tit. 5 de præbendis & dignitatibus*) & bonorum sacrorum nundinationem continet. Quis enim fraudes atque technas enumerare posset? ne ipsi quidem, qui plurimis annis in eò mercaturæ genere versati sunt, satis etiam omnes intelligunt aut norunt, quando novæ semper excogitantur. Sed hoc argumentum & tempus aliud, & librum singularem poscit: nunc ad propositum redeamus.

Ut Fridericus Cæsar, (*Blond. Decad. 2. lib. 8.*) Ita Galliæ quoque Rex LUDOVICUS,



CUS, ejus nominis IX. in Syriam & Ægyptum cum exercitu penetravit, & post in obsidione Tunetæ urbis vitam finiit, anno salutis M. CC. LXX. (*Gavinus l. 7. c. 2. Aurelius lib. 7.*)

Eò regnante, GUILIELMUS, Episcopus Parisinus, quæstionem proposuit de BENEFICIIS ECCLESIASTICIS; Re palàm disceptatâ, vicit ea sententia, non esse fas cuiquam habere plus unò. (*Johann. Itali in Chronic. Franciæ.*) Sed ejusmodi decreta satis est recitasse tantùm atqve scripsisse. *Henricus Pantaleon in Chronologia Ecclesiæ. Chronicon Flandriæ l. 8. Guilielmus Episcopus Parisinus scripsit librum de pluralitate beneficiorum, teste Johanne Trithemio de Scriptoribus Ecclesiæ.*

Gregorio successit [*An. Æ V. 1243.*] INNOCENTIUS IV. (*4. Tom. concil.*) ad quem, velut hæreditariâ successione, venit odium Cæsaris. (*Æmil l. 7.*) Itaqve Lugduni indictò Conciliò, Cæsarem evocat. Non venientem excommunicat, dignitate privat, hortatus Germaniæ principes, ut alium  
eli-

eligant: & hoc quidem ejus decretum est, inter alia, typis excusum, quemadmodum & Cæsaris quædam extant ad diversos reges Epistolæ, quibus & Pontificum iniquitatem, & suam prolixè demonstrat innocentiam. *Vide Matthæi Paris, monachi Albanensis, historiam majorem. p. 648.*

Decreverat Cæsar proficisci Lugdunum, & periclitari fortunam. (*Mutius lib. 10*) Sed ortâ denuò rebellione per Italiam, vires omnes eò convertit, & cum minùs feliciter res gereretur, in Apuliam reversus cœpit langvere, ac demum mortuus est. [*An. Ær. Vulg. 1250.*]

Alii periisse venenò, alii strangulatum fuisse dicunt, à filiò suò nothò, Manfredò, qui Italiam post invasit. *Mihaël Ritius lib. 2. de Regib. Sicilie, Mutius lib. 20. Crantzius Saxon. lib. 8. c. 6. Sigon. de Regnò Italiae lib. 18.*

Erat tunc magni nominis Azo Jureconsultus, (*Alciat. Parerg. l. 10. cap. 25.*) quem inde secuta fuit ingens illa scriptorum turba, qui violato Justiniani Cæsaris edictò, (*lib. 1. §. 11. C. de veter. jure cons.*) gravi  
qui-

quidem illò atqve severo mundum referunt innumerabilibus libris, unde nunc petenda sunt ea, quæ veteres illi copiosissimè doctissimèq; tractarant.

Nam aliorum alii scrinia compilant. (*Horat. lib. 1. Sat. 1.*) Neq; scribendi finis est ullus aut modus, & opinionibus contrariis omnia redundant, ut propriè locum hîc habeat, quod senex ille dicit, (*Terent. Phorm. Actus 2. Scen. 4.*) quum tres de jure consulisset: *fecistis probè, incertior res est, quàm dudum.*

Omitto technas, quæ plures quotidie excogitantur. Planè enim hîc accidit, quod Comicus (*Terent. Eun. Actus 5. Scen. 6.*) inquit, ut in astu veniat aliud ex aliò malum. Præclare multa legibus esse constituta, sed ea Jureconsultorum ingeniis pleraque corrumpi, Cicero (*de legibus*) queritur, atqve depravari: Quid? si nunc viveret, & pyramides illas librorum & praxin nostram & Sacrarium illud legum tam fœdè pol-

pollutum, misereq; contaminatum esse videret? quoniam sane, sicut alias artes omnes in lucem Deus hanc nostram memoriâ reduxit, ita quoq; multos excitavit, qui bonarum literarum instructi præsidio, non penitentiam operam in hanc etiam parte collocant, (*Cic. 1. de Legibus.*) ut rem videlicet pulcherrimam hominumque societati planè necessariam, imò donum cœlestè, depromptum & haustum ex mediis Philosophiæ fontibus, nitore suo restituant & æquitati. Qui quidem ipsorum conatus, publicam non modò laudationem, sed remunerationem quoque meretur.

Ab ejus morte per annos XXII. ferè fuit interregnum, (*Egnatius 18. annos interregni nominat.*) quum subinde alii, & alii eligerentur, qui tamen in eâ temporum perturbatione, luminam rei non tenebant. *Frideric. II. Imperat. extincto successit Conradus F. ejus nominis IV. cui oppositus est Wilhelmus Comes Hollandiæ. Illo autem extincto, & hoc in Frisiâ casò, à Septemviris, de electione discordantibus, creati sunt duo Cæsares, Richardus Prin-*

*Princeps Cornubie Anglus, & Alphonsus Rex Castelle. Neuter ramen horum imperio diu præsuit: nam Alphonsus sponte abdicavit, Richardus pecuniis exhaustus in Angliam rediit. [Annò Aræ Vulgaris 1259.]*

Interea REGNUM NEAPOLITANUM à familiâ Friderici Cæsaris, in potestatem Gallorum devenit, ac post etiam SICILIA. (*Michael Ritius lib. 3. de regibus Siciliæ & Neapolis.*) Nam Gallicis armis tum nitebantur Pontifices: quanquam deinde gravissima bella super his regnis orta sunt inter Arragoniam & Andegavensem Gallicam Familiam: Verùm hæc non sunt hujus loci.

Cum in eò statu fluctuâisset tot annis Respublica. sicut dictum est, (*Albertus Argentinens.*) RUDOLPHUS HABSBURGIUS [*Annò Aræ Vulg. 1273.*] creatur. Cæsar. Is initiô regni, motus, qui passim erant per Germaniam, componit: ide conventibus aliquot actis, Bohemiæ regem, OTTACARUM rebellantem invadit, & ad pacis conditiones cogit, quas tamen ille, suæ conjugis impulsu, non multò post violat, & in  
Au-



Austriâ secundò congressus, in præliò interficitur. [ *Annò Æræ Vulgaris 1276.* ] *Aeneas Sylvius Historia Bohemica cap. 27. Mutius lib. 21. Cuspinianus.*

Rudolphum adjuvabat Ungariæ rex **LA-**  
**DISLAUS CHUNUS** *Mutius lib. 21. Bon-*  
*fin. decad. 2. l. 8.*

Pace demum factâ cum Bohemis per matrimonia, Cæsar filio suo **ALBERTO** Austriam dedit, quam multis annis Bohemiæ rex possederat.

Impeditus autem variis Germaniæ negotiis, non est in Italiam Cæsar profectus; (*Johannes Cuspinianus.*) Quamquam alioqui non multum huc inclinaret: & per jocum fertur narrâsse fabulam (*Refert hunc Apologum Plato in Alcibiade priore. & Horat. l. ep. 1.*) aliquando de Vulpe, qui Leonem simulatè ægrotantem, quòdam in specu, non adibat, quòd vestigiis aliorum animalium terreretur, ex quibus nulla redissent. Præfectum tamen in Italiâ constituit, ac velut Imperii vicarium: deinde **FLAMINIAM & EXARCHATUM**, de quò non semel diximus, Ecclesiæ Romanæ con-

confirmâsse traditur, quâ tenuis admodum fructu ex iis locis ad ipsû rediret. *Exarchatû Pontifici concessu Rudolph. Imp. eâ conditione, ut Pontifex suis impensis & sumptu exercitû contra in fideles & Barbaros in Asiâ & Africâ aliat. quemadmodum in scripto suo contra Julium Pontificem edito, Maximil. Imperat. demonstravit. Aventin. lib. 7. Quas verò civitates complexus sit Exarchatus, videatur Sigonius de Regno Italiæ lib. 3.*

Perpetuis enim simultatibus & Paparum inimicitiis defatigati Cæsares, facti sunt paulatim remissiores. Nec enim prius acquieverunt Pontifices, quàm illos extra fines Italiæ submovissent: & quia Regum Galliæ præsidiis ferè nitebantur, ac per Episcopos Germaniæ factiones alebant, effecerunt tandem, quod pridem animò concupiverant.

Hic verò memoriâ repetendum est, quæ sit facta rerum vicissitudo, quando illi, qui beneficiò Cæsarum incolumes fuerunt, vitamque tolerârunt, & locum suum atque dignitatem retinuerunt, amplificati bonis illorum atque munificen-

ficientiâ dominatum sibi fumpferunt in eos, & patrimonio quoque fraudarunt: Non solum enim Italiæ bonam partem occuparunt, sed Siciliae quoque Reges atque Neapolis arctè sibi devinxerunt. Nam hi & tributum illi annuum dependunt, & dignitatem Imperatoriam suscipere prohibentur, nisi permissu illorum, & quum in possessionem ab eis mittuntur, hoc ipsum jurant inter alia: *Bergomensis lib. 13. Emil. lib. 7. Michael Ritius lib. 2. de Regib. Siciliae. Blondius lib. 8. decad. 2. Cranzius Metrop. lib. 8. cap. 30. Meminit Sleidanus Commentar. lib. 1. & Brutum fulmen auctore F. Hottomanno, ut volunt.*

In Rudolphi tempus incidit illa memorabilis GALLORUM CLADES PER SICILIAM. Quum enim Insulam hanc tenerent, & more militari multa facerent insolenter atque libidinose, per occultam conjurationem, datò signò passim trucidati fuerunt omnes, cum ad preces vespertinas campanæ impellerentur. Facinus hoc vulgò vocant VESPERAS SICULAS. Fuit hoc An. M C C L X X X I. die Paschatis. *Paulus*

*lus Æmilius hist. Francic. lib. 7. Tilius in Chronico Franc. Thomas Fazellus Rerum Sicul. Decad. 2. lib. 2. & 8. Michaël Ritius de Regibus Sicilie.*

Acceptâ pecuniâ Rudolphus ITALIÆ CIVITATES multas, quæ ditionis erant Imperii, liberas & immunes fecit, BONO- NIENSES, FLORENTINOS, GENUATES, LUCENSES & alios. *Mutius lib. 21. Sigonius l. 20. de regnô Italia, Crantzius Metrop. l. 8. c. 40. Nauclerus.*

Convocatis deinde Francofurtum Principibus, filium suum ALBERTUM designari sibi Successorem frustra petebat.

Mortuo [ *Annô Æræ Vulgaris 1291.* ] successit ADOLPHUS familiæ Nassovicæ, qui non multò post inimicitias exercere cœpit cum Albertô, Austriæ Duce: [ *Albertus Argentinens. Mutius l. 22.* ] quumque suis moribus Germaniæ Principes ædmodum offenderet, ac ipsum quoq; Moguntinum, cujus opera factus erat Cæsar; locô removeretur, & [ *Annô Æræ Vulgaris 1298.* ] eligitur ALBERTUS, Austriæ Dux, Rudolphi filius, qui, contractis copiis & adjutus à Principibus, Adolphum petit, & commisit



ſo præliô in agrô Spireniſi, Adolphus ab Albertô graviffimè fauciatus, à reliqvâ multitudinè poſt interficitur. *Johann. Cuſpimanus.*

Poſt eam victoriam Albertus, confirmandi ſui cauſâ, ne quis priorem electionè eſſe vitioſam diceret, ſolemniter creari Cæſar petit. Eâ re perfectâ, BONIFACIUS VIII. Pontifex reclamabat, neq; ratû habere voluit, quod reliqui Principes feciſſent.

Quum autem aliquantò poſt graviffimum eſſet natum diſſidium inter ipſum & PHILIPPUM PULCHRUM, (*Emil. l. 7. Gagvin. l. 7. c. 5. Mutius l. 22.*) Gallix Regem, approbavit Albertum, in ejuſq; familiæ laudem multa dicebat. Albertus demum à ſuis propinquis interfectus eſt, [*Ann. Eve Vulgaris 1308.*] quum rebus omnibus inſtructus iter ſuſcepiffet, ut Bohemis filium ſuum FRIDERICUM obtruderet Regem. *An. Sylv. hiſt. Bohem. c. 18.*

BONIFACIUS hic Gregorii IX. Decretalibus Epiftolis, quæ libris quinque continentur; alterum volumen adjecit, quod SEXTUM vocat. Inter alia ſtatuit,



licere Pontifici abdicare se Papatu, (*quoniam aliqui i. renunciat. in 6.*) Nam ipse non bonis artibus illud Cælestino V. cui successit, persuasisse, scribitur. *Platina. Crantzii Metropolis lib. s. c. 48.*

Ab Albertô fit Cæsar, HENRICUS, ejus nominis VII. è familiâ Luceburgicâ. Is filiô suô JOHANNE per matrimonium factô [*Anno Ær. Vulg. 1311.*] Bohemiæ Rege, (*Aeneas Sylvius in Bohemiâ suâ c. 31.*) proficiscitur in Italiam, cujus quidem status tunc erat miserrimus. Nam inde à morte Friderici II. Cæsaris, per annos circiter LVII. neglecta fuit à nostris Imperatoribus Italia: Quò factum est, ut variè dilaceraretur ab iis, qui potentiores erant, præsertim à GUELPIS & GIBELLINIS, quæ duæ factiones plurimas habent iis in locis clientelas (*Vita Henrici VII. descripta est à Conradô Vicerio, Secretariô Regiô.*)

Primùm ergò per Longobardiam Præfectos constituit oppidis ac municipiis, & jurejurandô sibi populos adstringit. (*Alb. Argentin. Mutius lib. 23.*) Deinde Mediolani commoratus aliquandiu, frustra conatur

tur eas, de quibus modò dixi, factiones conciliare: cumque ejus urbis Præfectus, TURRIANUS, illum ex improvîsò cogitaret opprimere, patefactâ conjuratione, & repulsis adversariis, Vicecomiti præfecturam urbis committit. *Paulus Jovius lib. 2. de vitâ Vicecomitum Mediolanensium.*

Quæ sunt ejus Regionis urbes omnes, illius fidei se permittebant atque potestati: Sola BRIXIA rebellabat quam longâ captâ obsidione, mœnibus nudavit. Inde per GENUAM profectus, & Pisis factò itinere, ROMAM venit, coronatus ab aliquot Cardinalibus, quoniam Pontifex Romanus CLEMENS V. urbe relictâ, migraverat in Galliam & Avenione habitabat. *Platina. Crantz. Saxon. l. 9. c. 3. § 4.*

Quum ab eò jusjurandum exigerent Cardinales, quod Pontifici præstandum esse dicerent, ille recusabat, neque tale voluit esse, quò Papæ devinciretur. Eâ re cognitâ, Pontifex, augendæ potentix causâ, formulam illam generalem jurisjurandi (*Clement. unic. de jurejur.*) latisimè post explicavit, & reliquis decretis, quæ nunc

extant, inseruit. Nam ipse quoque leges multas composuit, quæ nomen ab eo retinent, & Clementinæ dicuntur. [*Annô Æræ Vulgaris 1313.*]

Ad hoc tempus, illi, qui **TEMPLARI** vocantur, quorum ingentes erant opes, eodem impetu, diversis locis, trucidati fuerunt, & extincti. Galliarum Rex **PHILIPPUS PULCHER**, magnam facultatem ipsorum partem, permissu Pontificis, occupavit. Damnatum deinde fuit nomen eorum atque memoria: & Concilio Viennensi, quod per Galliam erat, [*Annô Ær. Vulg. 1312.*] ipsorum possessiones attributæ fuerunt iis, qui **RHODII** dicuntur **EQVITES**. *Fasciculus temporum. Albertus Argentinensis P. Emilius l. 8. Gagvinus l. 7. c. 5. Huld. Mutius Chronico German. lib. 22. Nauclerus vol. 2. generat. 44. Tilius in Chronico Reg. Franc. Crantzius Metrop. lib. 9. cap. 6. Rudolphus Hospinianus de Origine Monachatus l. 5. cap. 18.*

Hoc etiam tempore, Philippi Regis & Papæ Clementis auctoritate fuit **AURELIANENSIS ACADEMIA** instituta.

*Mid.*

*Middendorp. l. 2. Acad. orb. Christ. Tilius in  
Chronico Regum Francor.*

Mortuô tandem [ *Annô Æræ Vulg. 1313.* ]  
Henricô non absq; gravissimâ veneni su-  
spicione, sepultôq; Pisis, acerrimæ conten-  
tiones ortæ sunt in Germaniâ super elec-  
tione. *Sabellicus Ennead. 9. lib. 8. Michaël Ritius  
lib. 3. de Regibus Sicilie. Aventinus l. 7.*

Nam de Principatu contendebant FRI-  
DERICUS Austriæ Dux, Alberti Cæsaris  
filius, & LUDOVICUS, Bavarix Dux: ( *Alb.  
Argent. Mutius l. 24. Aventin. l. 7.* ) LUDO-  
VICUM Aquisgrani, Moguntinus Episco-  
pus: FRIDERICUM verò, Bennæ, Colo-  
niensis inaugurabat, JOHANNES autem  
XXII. Pontifex Romanus utrumq; saluta-  
bat Cæsarem: in Fridericum tamen pro-  
pensior. Quæ quidem res magis etiam  
simultatem incendit. Collectis utrinque  
copiis, magnâ vi [ *Annô Æræ Vulgaris  
1317.* ] dimicatur ad Eslingiam, Sveviæ  
oppidum, sed æqvô ferè Marte. Dein-  
de rursus majori impetu in Baviariâ: qvô  
quidem in præliô captus est FRIDERI-  
cus. [ *Annô Æræ Vulg. 1322.* ] bonâ suorum  
P 4 mili-



militum parte desideratâ. Dimissus tandem, domumque reversus, aliquot post annis moritur. *Johannes Cuspinianus.*

LUDOVICUS IV. ergo rerum potitus, (*Alb. Ar.*) Italiam cum exercitu petit, quamvis invito Pontifice, municipiis & oppidis passim constituit præfectos: Deinde Mediolani coronatur ab Archi-Episcopo, & missis Avenionem Legatis ad Papam, semel atque iterum, de solenni inauguratione, cum non impetraret, Romam proficiscitur, ubi Mediolani res constituisset. Magnâ cum gratulatione exceptus Romæ, [*Anno Æræ Vulg. 1328.*] coronatus est, ab uno & altero Cardinali. Cumque Pontifex ingeminarer Excommunicationem, ille, de consilio Procerum, Papam alterum creat. (*Æmil. lib. 3.*) Ad hunc modum flagrabat odium inter eos longè vehementissimum, & intercedebant gravissimæ utrinque criminationes, *Johannes Cuspinianus.*

Annales Galliæ tradunt, CAROLUM PULCHRUM Regem, Philippi filium, omnium primum Johanni Papæ decimas in Galliis permisisse Bonorum sacrorum, & præ-



prædam inter ipsos fuisse divisam. (*Æmil. lib. 8.*) Pontificem autem hoc sollicitasse potissimum, ut in Cæsarem ei pecunia suppeteret. *Tilivs Chronico Franciæ Regum.*

In Germaniam reverso Cæsare, moritur Papa; Successor ejus BENEDICTUS XII. Cæsarem & ipse excommunicat, & dignitate privat.

Francofurtum ergo [*An. Ær. Vulg. 1339.*] convocatis Principibus gravi habitâ oratione, Cæsar de Pontificum injuriis queritur, fidei suæ rationem exponit, vetustas Imperii leges profert & explicat: simul ostendit, quàm nihil ad Episcopum Romanum pertineat Imperii Respublica. (*Mutius lib. 24. Avent. 8.*) Nam qui de voluntate Principum sit electus, eum esse reverà Cæsarem, etiam si nullus interveniat Pontificis vel assensus, vel consensus, vel consecratio: totum enim istud, quandam esse Ceremoniam, quæ paulatim irrepsit, & nunc nimium aucta sit, non absq; magnò Imperii tum dedecore, tum detrimentò, *Crantzius Saxon. lib. 9. cap. 15.*

Mortuo demum Benedicto [ *Annô Æræ Vulg. 1342.* ] succedit CLEMENS VI. ( *Albert. Argentinus.* ) qui longè fuit omnium violentissimus, & conditiones proponi vehementer ignominiosas, iisque repudiatis, acerbior multò factus, gravissimè monet Principes, ut alterum eligant, ejusq; rei tempus etiam præfinit: ( *H. Mutius lib. 24.* ) nisi faciant, se daturum operam, ne diutius Ecclesia Patronò careat & Advocatò. Fluctuante ad hunc modum Republicâ, quum interea mortem obiret Ludovicus, eligitur Bohemiæ Rex, CAROLUS, Johannis filius, Henrici VII, nepos.

Paulò ante hoc tempus maximi belli nata fuit inter GALLOS & ANGLOS occasio. ( *Polydor. Rerum Angl. l. 15, Gaguinus l. 8, c. 2. Georg. Lilius in Chron. Rerum Angl.* ) Cum enim CAROLUS PULCHER, Galliæ Rex, non relictis liberis maribus, è vitâ decederet, quod fuit Annô M. CCCXXVII. EDUARDUS Angliæ Rex, ejus nominis III. quòd esset Caroli fororis Isabellæ filius, regnum sibi deberi contendebat; Proceres autem Galliæ, qui di-

cui-

cuntur Pares, ad PHILIPPUM VALES-  
 UM, mortui Regis Caroli patrualem, rei  
 summam deferunt, excluso non solum E-  
 duardô, Sororis filiô, sed etiam Regis filiâ  
 posthumâ, quod ejus regni hæreditatem  
 ad filias minimè pertinere dicerent. Hinc  
 bellum gravissimum, quod ne nunc qui-  
 dem est consopitum. *Bellum hoc ingens & a-  
 trox ab annô Christi 1325. usq; ad annum 1400.  
 perdurans, Frossardus copiosè persecutus est.  
 Sleidanus eandem historiam ex Frossardô bre-  
 viter & dilucide peculiari libro explicavit. Ex-  
 cludit autem Eduardum Anglum à regnô Gal-  
 liæ lex illa, quæ extat libro Leg. Salicæ, tit. 62.  
 §. 6. editionis Johannis Heroldi.*

CAROLUS [ *Annô Æræ Vulgaris 1346.* ]  
 ejus nominis IV. Cæsar, initium habuit  
 regni turbulentum. Delata fuit etiam  
 summa rerum EDUARDO Angliæ Re-  
 gi; Verùm is impeditus bellô Gallicô, re-  
 cusasse traditur. *H. Mutius lib. 25. Aven-  
 tinus lib. 8. Jacobus Mejerus in Ann. lib.  
 Flandriæ l. 12. scribunt nominatum à Lu-  
 dovicô Imper. Vicarium S. Rom. Imperii  
 Eduardum Angliæ Regem, deinde ab Ele-*

*Et oribus ad Imperium vocatum, quod tamen non accepit, omnia interim Reipublicæ studia pollicitus.*

Post varias deinde simultates in Germaniâ fedatas, (*Argentinenſis*) CAROLUS in Italiam proficiſcitur, deſque conſenſu Pape INNOCENTII VI. qui in Galliis erat, Romæ coronatus [*An. Æ. V. 1355.*] ab aliquot Cardinalibus, eâ lege, ne vel Romæ, vel in Italiâ diutiùs hæreret, (*Lege hic Fr. Petrarche Epistolam ad Nerium Foro Juliensem Cæsaris Notarium, Jovium lib. 8. de vitâ Vicecomitum Mediolan.*) Mediolanū redit, Mediolani multū poterant, conſeſſit, ut per Longobardiam eſſent CÆSARIS perpetui VICARII: cujus quidem beneficii cauſâ, ingentem pecuniæ vim ab illis accepit, nec ab iis modò, verū ab aliis etiam populis, quibus aliquid eſſet largitus. Quæ fanè res Imperii vires, eâ quidem in regione, plurimū enervavit. Atque hinc eſt, quòd Maximilianus I. Imperator de Carolò IV. dixiſſe ſcribitur: *Eò pestilentiore pestem nun-*



nunquã Germania contigisse. Refertur à Jacobô Spigeliô, in Commentar. ad 5. librum Guntheri Ligurini. Videatur præterea Theodoricus de Niem. qui Carolum IV. libr. 2. c. 25. de Schismate Dissipatorem Imperii; in Nemore Unionis, tract. 6. alterum M. Crassum. Idem Vitricum Imperii nominat: Idem, Carolum cum Wenceslaô, Imperium totum affirmat vendituros modo emptorem habuissent. Consule Crantzius Saxon. l. 10. c. 3. & 4.

Ex Italiã postquam rediit, [ *Annô Æræ Vulgaris 1356.* ] conventus egit Principum, & decretum illud Imperii fecit, quod BULLAM AUREAM ( *Albert. Argentinenf. Philipp. Bergemens.* ) vulgò vocant. Postremò, filium suum WENCESLAUM Imperii Successorem designavit, quod magnis largitionibus vix tandem obtinuisse scribitur, neque multò post mortuus est. [ *Annô Æræ Vulgaris 1378.* ] *Aneas Sylvius histor. Bohem. cap. 33. Egnatius, Crantzius Saxon. lib. 9. cap. 29. & lib. 18. cap. 3. Joan. Dubravius histor. Bohem. lib. 22.*



Ipsò Rempubl. gerente, Galliaè Rex JOHANNES, Philippi Valesii filius. commissò præliò cum ANGLIS, qvi tunc bonam Aquitaniaè partem & urbem BURDEGALAM tenebant, captus non pròcul à Pictaviò fuit, cum natu minimò PHILIPPO, qvi postea Burgundiaè Dux fuit, cognomentò, fortis, vel AUDAX. In eò præliò ex primâ nobilitate complures occubuerunt. Annalium Scriptores tradunt, Anglos fuisse non supra septem millia, qvum Galli maximis copiis eò venissent, ad sexaginta circiter millia: fuit hoc Annò M CCCLVI. duodecimò Calendas Octobris. Deductus in Angliam Rex captivus, annò septimò post vitam ibi finiit. *Ænosl. lib. 9. Robert Gagvin. l. 9. c. 1. Lilius in historia Anglica. Ritius lib. 3. de Regibus Francorum.*

WENCESLAUS (*Aneas Sylvius hist. Bohem. c. 34.*) naturâ & educatione & vitæ genere admodum vitiosus, ut quidem de illò proditum est literis, planè Rempubl. cam neglexit. Acceptâ pecuniâ JOHANNEM GALEATIUM, ex vicecomitum  
fa-

familiâ, MEDIOLANI DUCEM & INSUBRIÆ constituit, hominem avarum & crudelem. *Accusatur hoc nomine ab Electoribus Imperii in diplomate, quod existat editum operâ Christiani Urstisii tom. 2. hist. German. p. 180. Videatur etiam Theod. à Niem. de Schismate. l. 2. c. 25. & Nernus unionis tr. 6. item Johannes Dubrav. lib. 23.*

Eô regnante, JAGELLO, Dux Lithuanix, post mortem LUDOVICI Regis, creatur POLONIÆ REX, de voluntate Procerum: ejus, qui nunc ibi rerum potitur, Sigismundi II. proavus, tunc primùm sacrô fonte initiatus, [*An. Ære Vulg. 1386.*] & vocatus ULADISLAVIS, *Matthias Mechovius c. 2. Samaritix Europeæ. Curæus part. 1. Annal. Silesiæ, Martinus Cromerus lib. 14. & 15. de rebus Polonicis, Avent. l. 8. Alex. Gaguin. in descriptione Lithuania.*

Ungariæ Rex autem SIGISMUNDUS, præliô victus fuit à BAJAZETE Turcarum Imperatore, ad Nicopolim, [*An. Ære Vulgaris 1396.*] tertiô Calendas Octobris. *Chalcocondiles lib. 2. Rerum Turcic. Bonfin. decad. 3. lib. 2.*

Galliæ Rex CAROLUS, ejus nominis VI. insignem equitatum auxilio miserat in Ungariam, (*Robertus Gagvin. l. 9. c. 3.*) Ductore Johanne, Philippi Audacis Burgundiæ Ducis filiô, qui captus eô præliô fuit, & adductus ad Turcam, in maximô versabatur vitæ discrimine, quod tamen evasit. Id autem sic accidisse ferunt Galliæ Scriptores Annalium. Erat Bajazeti familiaris quidã Physiognomus, ex eorum grege, qui se profitentur hominum mores, naturasqve ex corpore, oculis, vultu, fronte, pernoscere. Is contemplatus captivum, author Imperatori fuit atqve svasor, ut eum dimitteret incolumem: fore enim, ut, domũ reversus, maximum incitaret incendium, quô bona pars esset Europæ, vel orbis Christiani conflagratura. Sic ille persuasus, hominem dimittit & reliquos ex Nobilitate captivos, ubi pretium persolvissent liberationis ad ducenta coronatorum aureorum millia. *Vide Jacobi Mejeri annal. Flanaricos lib. 14. ubi non nihil ab hâc narratione variat.*

Cum in Galliam rediisset ille, simultatem

tem cœpit exercere cum LUDOVICO AURELIANO Duce, fratre Regis. (*Gaguin. lib. 9. cap. 3.*) Nam is per valetudinem Regis, propè deploratam, volebat Rempubli-  
cam gerere, quòd proximus esset agnatus. BURGUNDUS verò, quod & patru-  
elis esset Regis, & ætate præcederet, mor-  
tuò jam patre Philippò, sibi potiùs deberi  
contendebat administrationem: Auge-  
scente igitur indies magis atqve magis of-  
fensione, Dux Aureliæ tandem, nocturnò  
tempore, Lutetiæ fuit interfectus, à cœnâ  
domum rediens. Erant autem à Duce Bur-  
gundiæ submissi percussores, quod nec ipse  
postea diffitebatur & factum etiam defen-  
debat. Fuit hoc Anno MCCCXVII. Nonò  
Calendas Decembris. *Æmil. lib. 10. Michaël  
Rutius lib. 3. de Regibus Francia, Commentar.  
Pii Papæ lib. 6. p. 273.*

Annò duodecimò pòst, [*A. Æ. V. 1419.*]  
quum pacificandi causâ Dux Burgundiæ  
venissèt ad locum constitutum, perfidè  
circumventus, à quibusdam Aureliani  
Ducis mortui familiaribus, qui conjura-  
verant in ejus caput, fuit interfectus,  
præ-



præsente CAROLO Delphinô, Regis, filiô, qui disceptationi causa præerat. *Æmil. lib. 10. Tilius in Chronicô Franciæ. Ritus de Regibus Francorum. Comment. Pii Papæ, lib. 6. pag. 280. Annales Flandriæ lib. 5.*

Hoc illud est seminarium belli, quod inde ab eô tempore inter familias illas duas, ad hanc nostram ætatem usque, subinde revirescit. *Æneas Sylvius hist. Bohem. cap. 34. Mutius lib. 26.*

Cum propter ignaviam contemptus esset WENCESLAUS, Principes ei magistratum abrogant & Bavariæ Ducem, ROBERTUM PALATINUM, eligunt. [*Anno Æræ Vulgaris 1400.*] *Johan. Cuspinianus, Egnatius.*

Is ad emendandum ea, quæ Wenceslaus peccasset, animum statim adjecit, neque ratum habere voluit, quod ille JOHANNI GALEATIO concesserat, & Insubriam denuò cogitabat in ditionem Imperii redigere: (*Avent. lib. 8.*) Cumque propter hanc, & id genus alias causas, in Italiam contenderet, impeditus fuit & repulsus ab eô, quem diximus, Galeatiô, *Egnatius,*



*Cupinianns, Jovius lib. 10. de viâ Vicecomit. Mediol. Aventinus lib. 7.*

Valdè tum erat turbulentus Italiæ status, CAROLI & WENCESLAI potissimum culpâ, qui nimium iis populis indulserant. Nam, præter Galeatium, nuper factum Mediolani Ducem, Veneti etiam & Florentini, & Genuates bellum faciebant vicinis, totumq; jus in armis positum erat atq; potentiâ. *Pompon. Mela lib. 3. Germani jus habent in viribus, Ammian. Marcellin. lib. 17. Barbaris esse omne jus in viribus consuevit.*

Deinde per diurnam absentiam Pontificum, frequentes Romæ fuerant natæ ac plenæ periculi similtates, (*Henricus Mutius lib. 26.*) Mediolani Dux Galeatius bellum tunc inferebat etiam Florentinis, qui, sui ulciscendi causâ, Cæsarem magnis pollicitationibus in Italiam rursus evocârunt: Cùmque Patavium venisset Cæsar, voluntate Venetorum, qui & ipsi Galeatium oderant, nec apparatus videret amplissimis respondere promissis, in Germaniam revertit, Italiæ deposita omni curâ, quæ post intestinis malis

gra-

gravius etiam labefactata fuit. *Jovius lib. 11. de vitâ & rebus gestis Vicecomitum Mediolan.*

Roberto successit [*An. Ær. V. 1411.*]

SIGISMUNDUS Wenceslai frater Hungariæ ac deinde Bohemiæ quoq; Rex. *Johann. Cuspinianus, Æneas Sylvius historiâ Bohemiæ c. 39.*

Ad hoc tempus tres erant Pontifices, JOH. XXIII. GREGORIUS XII. BENEDICTUS XIII. *Joan. Maritus de Schismat. & Consiliis part. 3. cap. 13.* Ita quidem, ut horum factionibus propè omnes Europæ Provinciæ dividerentur. Nam inde ab Innocentiô III. sicut ipsorum habent libri, per annos ducentos, nullum fuerat Concilium publicum, & corruptissimus erat ordinis Ecclesiastici status, quum inexhausta quædam vitiorum & morborum colluvies inundâssent, ac ferè medicinam respueret.

Fuit enim interea BONIFACIUS VIII. qui sibi Papalem simul & Imperatoriam dignitatem arrogabat: (*Crantzius Saxon. l. 10 c. 36. Avent. l. 7.*) Post alter ab eô, CLEMENS V. Burdegalensis, rogatu  
Phi-

Philippi Pulchri, Gallia Regis, urbe Româ  
 defertâ, curiam transtulit in Gallias: [*An.  
 Ær. Vulg. 1305.*] *Gagvin. lib. 7. c. 5. Albert. Ar-  
 gent.*) Ab ejus verò morte quum Cardina-  
 les graviter diffiderent inter se, per annos  
 aliquot fuit interregnum, & Lugduni tan-  
 dem creatus est Papa JOHANNES XXII.  
 Cadurcus.

Qui fuit ab hâc Papa Quintus, GREGO-  
 RIUS, ejus nominis XI. quum in Galliis  
 Romana curia per annos jam LXXI. con-  
 sedisset, Romam revertit. [*A. Æ. V. 1377.*]  
 (*Sabell. Ennead. 9. lib. 8. Theod. Niem. libro de  
 Schismate.*) Sed, eò mortuô, [*An. Ær. Vulg.  
 1378.*] de Papatu certabant, URBANUS  
 VI. Neapolitanus, & CLEMENS VI. Sa-  
 baudus: quorum ille quidem Italarum,  
 hic verò Gallorum præfidiô nitebatur; ille  
 Romæ commoratus, hic autem Avenione:  
 cumque vitam hi finiissent, illi, quos dixi-  
 mus, tres, in eorum locum, à diversis fa-  
 ctionibus electi fuerunt, eratque tum Papa-  
 tus triceps.

Deplorabant tunc statum Ecclesiæ  
 multi doctrinâ præstantes viri, tam Itali,  
 quàm

quàm Galli, fatis acriter infectati temporis illius corruptelam atq; mores, quantum quidem in illis tenebris videre licuit. *vide catalogum Testium veritatis à Matthiâ Flaciô editum.*

Ex iis PETRARCHA, quum hæerent Avenione Pontifices atq; Cardinales, urbem illam vocabat Meretricem Babyloniam. *Petrarcha in Epistolis sine titulo Epist. 7. 8. 9. & 15. Avenionem tertiam Babyloniam, quintum Labyrinthum, scelerum & dedecorum sentinam, larvarum ac Lemurum domum appellat.*

Ejus ergò diffidii componendi causâ Concilium (4. Tom. concil. p. 248.) in Germaniâ cogitur CONSTANTIÆ, [*inceptit An. A. Vulg. 1414.*] de cujus arbitrio tribus illis abrogatur magistratus, & eligitur [*Anno 1417.*] MARTINUS V. Hôc in Concilio, propter dogma, fuerunt exusti JOHANNES HUSSUS, [*Anno 1415.*] HIERONYMUS PRAGENSIS, [*Anno 1416.*] tametsi fide publicâ Cæsaris eò venissent, *Aeneas Sylvius hist. Bohem. c. 36. Henr. Mutius l. 27. Job. Dubravius l. 24. Vide acta hujus Concilii integrò volumine comprehensa.*



SIGISMUNDUS Cæsar admodum laudatur, quòd tunc Reipublicæ causâ, plerosquæ omnes Christiani nominis Reges adiit, hortatus illos, ut in commune confulerent.

*Mutius lib. 27. Egnatius, Cuspinianus.*

Rebus igitur in Germaniâ compositis, in Italiam venit: Gerebant tunc bellum terrâ marique VENETI & FLORENTINI cum PHILIPPO MARIA, Johannis Galeatii filiò, Mediolani Duce. *Jovius l. 12. de vit. Vicecom. Mediol.*

Romam deinde profectus, à Pontifice EUGENIO IV. consecratus est: [*Annò Æræ Vulgaris 1432.*] inde Basileam rediit, ubi tum alterum erat coactum Concilium. *Mutius lib. 27. Hæjus Synodi historiam duobus libris complexus est Aeneas Sylvius, quos post eâ, Pontificatum adeptus, abolere conatus est. Vide tomò 4. concil. p. 414.*

Hic successorem habuit [*Annò Æræ Vulgaris 1438.*] ALBERTUM, Austriæ Ducem, Hungariæ, Bohemiæquæ Regem, quî, civilibus & Turcicis bellis impeditus, in Italiam non venit. *Aeneas Sylvius hist. Bohem. c. 55.*



Hôc circitèr tempore, rursus excitata fuerunt ingenia, quæ bonas artes, lingvas atqve literas excolere cœperunt. In Italiâ quidem primò, quùm Græcorum illi studiis adjuvarentur, pòst etiam apud Germanos, Gallos, aliosqve populos: & cum Typographicum inventum accederet, maximasqve commoditates adferret, incredibile est, quàm felix & optata fuerit facta progressio.

*Ars Typographica ab homine Germanò, in mediâ Germaniâ Moguntia inventa & excogitata est Annò Christi 1440. ut Polydorus Vergilius lib. 2. c. 7. de rerum invent. Sebast. Münsterus. F. Philolphus, Philippus Beroaldus, aliq; plurimi attestantur. Verù Patrū memoriâ, referente Conradò Pentingerò, in sermonibus convivialibus, Pomponius Letus eam laudem nostris præripere voluit, sic scribens ad Augustinum Maphæum: imprimendi facultas, multis seculis intermissa, paulò antè revocata est. Jovius etiam hist. lib. 14. in regione Sinarum, libros, ante multos annos impressos existare ait. Joh. Consalvus Mendoza lib. 3. cap. 16. de regnò Chinæ scribit, artem Typographicam 500. annis*

annis antè, quàm ad Germanos veniret, ejus loci in usu fuisse. Videatur etiam Johannes Petrus Malphæus hist. Indicar. l. 6. Hadrianum Junium in Bataviâ cap. 17. artis hujus inventionem civi cuïdam Harlemensi attribuit.

Nunc enim perpetuatis ab illò tempore studiis, eò deventum est, ut cum eruditissimis olim seculis hæc ætas nostra conferri possit, & hòc nomine sit imprimis beata, quòd hanc optimarum artium & lingvarum scientiam, verâ sui cognitione DEUS illustravit etiam, quum veteres illi, tantis literarum præfidiis instructi, homines eloquentissimi, profundis essent immersi tenebris, & SUMMUM illud BONUM, de quò tam multa scripserunt, frustra investigarent.

Alberto successit [*An. Ær. Vulg. 1440.*] FRIDERICUS III. Austriæ Dux, qui Romam placidè profectus & consecratus à Pontifice, NICOLAO V. domum rediit, nec in Italiâ quicquam movit. *Hulder. Mutius lib. 29. Job. Cuspinianus, Egnatius.*

Regni ipsius annò quartò, [*Annò Ær. Vulgaris 1444.*], ULADISLAUS, Uladislai filius,

lius, Poloniae simul & Ungariae rex, quum  
 EUGENII 4. Pontificis impulsu, violasset in-  
 ducias, (*Chalcocond. lib. 6. & 7. Bonfin. Dec.*  
*3. lib. 6.*) ab AMURATHE, secundo ejus nomi-  
 nis, Turcarum Imperatore, praelio victus  
 ad Varnam seu Dionysiopolim, undecima  
 die Novembr. occubuit. *Mutius l. 28. Jov.*  
*libr. 2. Flogiorum, sub effigie Juliani Caesarini*  
*Cardinalis. De hac clade Varnensi exstant duo*  
*libri Callimachi Experientis copiose & erudite*  
*scripti.*

Nono post anno, Constantinopolim vi-  
 cepit MAHOMETUS, Amurathis filius, quam  
 ejus haeredes jam per annos centum & tres  
 occupant, constituta sede regia. De expu-  
 gnatione Constantinopolis, quae incidit in ann.  
 Christi 1453. exstat lib. Leonhard. Chiensis E-  
 piscopi Mitylenaei. & Godesfridi Langi. Videan-  
 tur praeterea Chalcocondile's lib. 8. Continuator  
 Michaelis Glycae. Commentariorum Pii Papae  
 2. l. pag. 38. Cranzii Sax. l. 11. c. 33. Christoph.  
 Reherius de rebus Turcicis l. 4. Nuncietur au-  
 tem urbem hanc à Constantino M. Helena filio  
 institutam, sub Constantino Palaeologo. itidem  
 Hele-

*Helene filio, à Turcis occupatam esse. Rectè itaq; dixit. Jornandes l. 1. In iis sepe regna deficiunt, à quorum nominibus inchoant.*

Uladiſlao ſucceſſit, in Poloniâ quidem, CASIMIRUS frater, in Ungariâ verò, LADISLAUS, Alberti ſecundi Cæſaris filius poſthumus.

Successorem Cæſar Fridericus habuit filium MAXIMILIANUM. [*Anno Æræ Vulgaris 1493.*] *Joh. Cuspinianus.*

Paulò ſub mortem Friderici, FERDINANDUS rex Hiſpaniæ, pulſis Barbaris, BETICAM, quæ Granatæ Regnum vulgò dicitur, ſuis finibus adjunxit. *Michaël Ritius l. 3. de regibus Hiſpaniæ. Legatur Hiſtoria Magni Conſalvi tribus libris à Paulò Joviò deſcripta. Item liber de expugnatione Granatæ.*

Maximilianus, inter alia multa, cum Venetis quoque bella geſſit. [*A. Ær. V. 1507.*]

Hunc [*Anno 1519.*] ſecutus eſt CAROLUS, è filiò PHILIPPO nepos, Cæſar, ejus nominis V. longè potentiffimus, qui rerum hodiè potitur. *De hujus Imp. rebuſ geſtiſ ſcripſerunt Guicciardinus, Joann.*



*Joan. Sleidanus, Jo. Jus, Surin, aliique pluri-  
mi.*

Ex iis igitur, quæ commemoravimus, liquidò apparet, quomodo Rom. Imperium, quò nullum fuit nec erit potentius, propè sit omninò dissipatum. Nam per ASIAM ne vestigium quidem, aut latum ungvem, sicut Proverbiò dicitur habemus: occupant omnia Turcæ, Scythæ & alii nostræ religionis hostes: AFRICAM totam amisimus, nisi quantum superioribus annis à Carolò V. Cæsare recuperatum est, quando Ænobarbo, Turcico legato, TUNETAM ademit, gloriosam adeptus victoriam, & regem ibi constituit, [*Annò Æræ Vulgaris 1535.*] ipsi vectigalem, & annò decimò quintò post Africam urbem oppugnatione cepit. *Sleidan. Comment. lib. 9. § 22. Bellum Tunetanum Johannes Eutropius descripsit. Africæ (quæ Mahadiâ à Mauris dici Facellus tradit) expugnatio à Christoph. Calvetò Stellâ exposita est. Ea quomodo rursus amissa sit, exponit Joh. Leonclavius in continuat. Annalium Turcicorum à se editorum.*



Avulsa est Lusitania, Hispania, Gallia, Britannia, Dania, Sarmatia, Pannonia, Illyricum, Græcia tota, cum vicinis regionibus: adhæc Sicilia, Sardinia, Corsica, Balearis Insulæ, Allobroges: quæ quidem Provinciæ suos habent dominos, qui plenam in omnibus potestatem obtinent, & ad Imperii rationes ne tantillum quidem conferunt.

Videamus nunc Italiam, præscum & avitum ac primum Romani Imperii patrimonium: hæc ipsa verò quid nobiscum habet commune? Calabriam, Apuliam, Campaniam, Neapolim avitâ successione, tenent Hispaniarum Reges.

Urbem Romanam, Cæsarum domicilium atq; sedem, agrum Picenum & Flaminiam & Hetruriæ partem occupant Romani Pontifices, qui non modò non agnoscunt Imperium, sed Cæsares etiam, imperiique præfectos, tenent sibi devinctos.

Quæ sunt iis locis potentiores civitates, aut suos habent regulos, aut factionibus indulgent, nihilq; plane ad nos pertinent.

Jam Veneti, quam possident egregias non solum urbes & municipia, verum etiam Provincias, ipsi interim liberrimi, & ab Imperio Romano plane sejuncti. Insurbria verò, quæ vulgò Longobardia dicitur, aliquantò quidem propius ad nos pertinet, sed & ipsa fluctuat, nec certum ullum emolumentum ad nos illinc redit. Postquam enim nostri quidam Cæsares, ut supra dictum est, primò Vicecomites, ut vocant, ac deinde Duces ibi constituerunt, quam miserè dilacerata fuit, & quam nihil ab eò tempore nobis contulit! Ortis enim bellis, cum nostri Cæsares eam negligerent, electis Vicecomitibus, occupavit illam Sfortiarum familia, quam deinde Galliarum reges Ludovicus XII. & Franciscus I. ejecerunt: & hic quidem per annos sex regionem illam tenuit, donec Carolus V. Cæsar eam recuperavit. *Arnoldus Feronius lib. 9. de gestis Gallorum, Tilius in Chronicò Francorum.*

Ex omni igitur Italiâ nihil fructus ad Imperium redit: nam neque nostris conventibus interfunt, nec ad publicos usus  
atque

atq; necessitates aliquid contribuunt, nisi quantum vel suâ sponte, vel alioquin in gratiam Cæsaris faciunt.

Sola Superest Germania, quæ semper adversata Romanorum Imperio, & subinde rebellans, ut è superioribus constat, tandem à Carolô Magnô Cæsare collecta fuit, & in unum redacta corpus: Ac deinde quum eligendi Cæsaris potestas ad Septemviro delata fuisset, ut supra demonstravimus, facta est Cæsarium domicilium atq; sedes.

Atque hic tamen considerandum est etiam, quam ægrè potuerit coalescere hoc ipsum quantumcunque corpusculum Imperii, conflatum in Germaniâ. Quæ enim non dissidia fuerunt apud nos & bella civilia?

Totum igitur illud, quod hodiè Imperii nomine censetur, intra Germaniæ fines includitur, nam foris & extra limites illos nihil superest. Quamquam & intra hos ipsos fines tam modicè circumscriptos, videmus, quemadmodum non pauci tergiversentur, & se suaq; quantum

possunt, ab imperii ditione subducant: ut interim de vicinis Regibus & aliis nihil dicam, qui ab hoc ipso tam tenui & exsangvi corpusculò, quod vix ossibus hæret, decerpunt & avellunt quotidiè, quantum possunt, & suæ ditionis efficere conantur; quod erat Reipublicæ.

Ut autem ad finem aliquando perveniamus, DANIELEM de his rebus omnibus vaticinantem paucis accommodemus. (*Zonas Tomò 1.*) De STATUA, quam per somnium Nabuchodonosor vidit, supra diximus: huc postea recurremus; nunc alia loca videamus.

Capite VII. describit QUATUOR ANIMALIA, quæ per somnium ipse vidit ex Oceanò prodire, LEONEN, USURUM, PANTHERAM: quartum & postremum ait fuisse TERRIFICUM & HORRENDUM ASPECTU.

LEO denotat regnum Assyrium: alæ duæ, quas illi tribuit, sunt duo veluti membra illius Imperii, Babylonia & Assyria.

Per URSUM significatur regnum Persicum, à quo fuit devictum Babylonicum.

Tres

Tres costæ, quas inter alios dentes in illius ore fuisse, scribit, sunt tres præcipui Reges hujus Monarchiæ, Cyrus, Darius, Artaxerxes, qui præ cæteris claruerunt, & multam carnem ederunt, ut inquit, hoc est, complures populos suæ ditioni conjunxerunt.

PANTHERA est Alexandri Magni seu Græcorum imperium: quatuor illius alæ & capita, sunt quatuor regna, quæ post Alexandri mortem ex illâ Monarchiâ prodierunt.

QUARTUM & postremum animal, est Imperium Romanum: decem cornua, sunt ejus membra, seu partes, cujusmodi sunt Syria, Ægyptus, Asia, Græcia, Africa, Hispania, Gallia, Italia, Germania, Britannia: nam illi hæc omnia tenuerunt.

Jam inter decem ista cornua nascitur & prodit cornu quoddam parvulum, quod de decem illis cornibus tria revellit: Istud denotat regnum Mahometicum sive Turcicum, quod ex humili initiô natum, in Romanâ Monarchiâ, tres Præcipuas partes illius occupavit, Ægyptum, Asiam, Græciam.



Deinde, cornu istud parvulum habet oculos, & est contumeliosum adversus Deum: Mahometus enim novum doctrinæ genus proposuit, suis valde gratum, & quod prudentiæ speciem aliquam haberet: hi sunt oculi, sed revera DEUM afficit contumeliâ. Nam Prophetarum & Apostolorum scripta planè delevit, & Christi beneficium nullum agnoscit, imò conviciis axagitat omnem de CHRISTO doctrinam.

Ad hæc parvulum istud cornu bella gerit cum sanctis, & vehementer illos affligit, ut inquit, donec judicium fecerit Antiquus ille, cujus nec initium est, neq; finis.

Ex quô quidem clarè perspicitur, in hoc ipso imperio finem esse habiturum hoc mundi curriculum, nec ullum præterea futurum: Sed abolitis omnibus mundi principibus, venturum esse perpetuum illud regnum, cujus autor & dux erit CHRISTUS.

*Capite octavo Daniel describit ARIETEM & HIRCUM: Hoc autem*  
An-

Angelus ipse pòst interpretatur apertè, & **ARIETEM** bicornem dicit esse Medorum atqve Persarum Reges: **HIRCUM** verò, Græcorum Imperium, & cornu illud magnum in ipsius fronte, significare primum ejus Imperiû Regem: quod autem eò cornu contractò, quatuor alia cornua succedant, notari dicit, quòd ex illò Imperiò quatuor sint oritura regna, sed robore & potentiâ minimè conferenda cum primo illò Rege.

Videamus ergo, quam propriè & certò depinxit Daniel Alexandrum Magnum, ducentis annis & amplius antè, quam ille regnaret. Fore enim dicit, ut hircus terram non tangat, hoc est, ut maximâ celeritate bella sua conficiat, & ut ab ipsius impetu, nemo possit arietem liberare. Nam XII. annis tantùm regnavit Alexander, tamq; brevi spatiò temporis, Asiam propè totam sibi subjecit, ut suprâ docuimus: ac licèt incredibilis esset Persarum atq; Medorum potentia, tamen tribus præliis ordine victus ab illò Darius, vitam simul & imperium amisit.

Tradunt nonnulli. (*Josephus Antiquitat lib. 11. cap. 7. & 8. Zonar. Tom. 1.*) quum Hierosolymam venisset Alexander, summum Sacerdotem ei recitasse Danielis locum istum: quod quidem vehementer ille fuerit exhilaratus.

Deinde, quod ex quatuor istis cornibus, oriturum sit aliud, initiò quidem parvum, sed postea valdè potens, quod gravissimè sit afflicturnum loca sacrosancta: hoc ipsò prænunciari dicit acerbissimas persecutiones, quas Judæi sint passuri à posteritate Alexandri Magni, à Regibus Ægypti atque Syriæ, quas inter media est Judæa. Nam cornu istud ex quatuor illis cornibus ortum, experti sunt Judæi, ANTIOCHUM videlicet Epiphanem Syriæ Regem, crudelissimum vastatorem.

Huc etiam applicandum est *Cap. XI.* in quò rursus de Alexandrò Magnò loquitur, ejusq; successoribus, adeò quidem copiosè atq; propriè, ut non vaticinium, sed historia quædam esse videatur.

Nunc tandem ad STATUAM NABUCHODONOSOR veniamus, de quâ prior

ri librò per occasionem diximus. Interpretationem autem ipsius de tribus primis imperiis, quoniam & perspicua est, & temporibus ipsis comprobata, non repetam: (*Dan. 2. Joseph. Antiquit. Judaic. lib. 10. c. 12.*) de quarto solum aliquid dicemus, quoniam & ad nos proprie pertinet, qui in eo versamur, & à Daniele describitur accuratius: *ferreum* esse futurum dicit, quod reliqua omnia imperia comminuet, sibi que subiciet. Ad demonstrandum istud, non opus est multis verbis: Res enim ipsa loquitur, & ex historiâ rerum, quas enumeravimus, liquidò constat.

Pedes autem illius, ac digiti pedum, partim sunt ferrei, partim fictiles è testâ. Sicut humani corporis pes finditur in digitos, ita Romanum Imperium, ubi constiterit aliquandiu firmum & innixum cruribus ferreis, ac totum terrarum orbem in ambitu suo complexum fuerit, desinet in digitos, & corporis illa moles dissolvetur. Hoc ipsum etiam constat accidisse, nec opus est explicatione: quid enim magis hodiè dissolutum est, quam imperii illius amplissimi corpus?

Et



Et quæquam ita se res habet, tamen, quia planta pedis est ferrea, ut inquit, manebit firmamentum ejus, neque profus confringi poterit. Sed reliquæ, nomen atque dignitas durabunt, donec Christus adventu suo rebus omnibus humanis finem imponet. Quin ad summam tenuitatem redactum sit, dubitari non potest, ac luce meridianâ clarius est.

Arbor illa procera concidit, sed hæret adhuc atque consistit illius radix, non quidem succulenta, sic ut propagari possit atque augescere, verum ex sicca profus & arida, sed tamen hanc radicem ac plantam ferreæ naturæ, nulla vis humana funditus revellet, sed hærebit infixâ solo, quoad ista rerum omnium fabrica destruetur.

Sumus & hoc experti: Nam tenuem hanc & angustam Imperii possessionem, multi sæpè conati sunt evertere. Pontifices quoque Romani, ac postremò etiam Turcæ, qui licet magna perfecerint, & majora sibi fortasse polliceantur, tamen non constabunt ejusmodi molem, quæ cum Romanâ potentiâ conferri possit, neque semina-

rium



rium istud Imperii, quod reliquum est, licet aridum & flaccidum, evertent: Nec enim quintaco constitui potest Monarchia.

Germania quidem sola titulum ac possessionem habet imperii, sed si vires conjungat & animos, vim omnem externam facile depellet, sicut non unô potest documentô probari.

Paucis abhinc annis ingentes fecerunt progressus, & superatô Bosphorô Thraciô, longè latèqve sunt per Europam grassati TURCÆ, suamqve nunc ditionem planè conjunctam habent atqve finitimam Germaniæ, quæ sanè maximo videtur exposita periculo; Sicut etiam Italia, propter vicinitatem: sed si Daniele propius intueamur, sperare licet, vim atqve potentiam illorum in summô nunc gradu sistere. Nam tria solum cornua Daniele eis attribuit, ut supra diximus: & illa quidem nunc obtinent; Initiô Domini rerum facti per Asiam; Deinde per Græciam & Ægyptum. Ac Græciæ quidem appellatione comprehendi potest, quicquid est in eô tractu regionum, propè  
ad

ad Illyricum usque. Et quoniam hoc tempore non modicam Ungariæ partem occupant, & tametsi fieri potest, ut Germaniam aut alias vicinas regiones divexent, tamen quoniam & certos intra limites illorum ditio consistere debet, & Romanæ potentiae minimè poterit conferri, sicut jam demonstravimus, credibile est, has provincias non esse venturas in illorum ditio- nem, sicut tres illæ sunt hodiernò die GRÆCIA, ÆGYPTUS, ASIA.

Bellum facturi sunt Sanctis, & in Christianæ professionis homines immanitate summâ grassabuntur, & durabit hic illorū furor ad finem usque mundi, sicut Daniel clarè testatur.

Atq; hæc est ejus vaticiniū causa præcipua, quò videlicet, de postremi temporis ærumnis atq; miseriis præmoniti & certiores facti, non despondeamus animum, sed liberationem expectemus. per adventum Christi Servatoris nostri, qui statim has afflictiones, ut inquit, excipiet, ac in firmam & tranquillam stationem suos transportabit, & lacrymas ab oculis eorum absterget.

Quædam loco Danielis *Dan. 9.* ad Judæos propriè pertinent, quibus & liberatio promittitur captivitatis, & Messias ille, promissus Patribus, intra certum ac ibi notatum & expressum tempus denunciatur esse venturus: reliqua autem vaticinia, ad omnium postremam mundi ætatem pertinent, & ad eos, qui tunc vivent, quum & parvulum illud cornu, Mahometi posteritas, bellum geret cum Sanctis, & quum revelatus atq; detectus fuerit homo ille peccator & scelerosus, qui sedet in templô Dei, seipsum ostentans, ac si Deus esset: Nam & hujus tyrannidem Daniel præsignificavit, ut Paulus in suis Epistolis disertè interpretatur. *2. Thess. 2.*

Satanas, quem hujus mundi principem vocat ipse CHRISTUS, *Job. 12. 14. & 16.* quum semper aliàs, tum in ultimâ mundi deficientis ætate, longè vehementissimè tumultuabitur, & omnis iracundiæ laxabit atque furoris habenas, & adversarios excitabit CHRISTO, qui non modò vi armorum sevant, verum etiam in fraudem & errorem abducant homines falsâ doctrinâ, sic qui-  
qui-

dem, ut ipsorum laqueos vix evasuri sint etiam electi. *Matthæi 24. Marci 13.*

Nimirum, hoc illud est tempus, quod capite XII. Daniel significat, adeo profus afflictum & calamitosum, ut nec simile fuerit unquam, neque futurum sit. Nihil enim læti nobis pollicetur, sed gravissimas persecutiones denunciat, quando calamitates illas, de quibus loquitur, duraturas esse dicit, dum perficiatur dispersio manus populi sancti.

Vexabitur ergo populus Dei passim per orbem terrarum, & affligentur pii diversis locis, quamdiu terrarum, orbis consistet. Quod quidem Prophetæ, vel potius Angeli testimoniū spem nobis omnem præscindit conciliationis & aggregationis. Nana de dispersione & dissipatione perpetuā loquitur, & natis propter doctrinam ac Religionem dissidiis, tunc demum finem statuit, quum ipse Christus apparebit. Verum ut consoletur & erigat & sustentet eos, qui tunc vivent, mox ab istis ærumnis mortuorum resurrectionem ponit, quam ut lætam

experiamur, atqve salutarem, magnis precibus orandus est Deus.

Quantum verò Danieli sit tribuendum, testatur ipse Christus. (*Matth. 24. Marci 13.*) qui locum ex eò desumptum, pro Concione refert, & auditoribus commendat.

Cùm ergò sint afflictissima hæc nostra tempora, studiosè cognoscendus est hic Vates, qui nobis in hóc mundi postremò curriculum positus, concionatur, ac diligenter introspiciendus, ut in his præsentibus malis, & adversum imminentes fluctus atqve tempestates, verâ nos & certâ consolatione, tanquam vallò quodam & aggere, præmuniamus.

*F I N I S.*

